6
22-c
24

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
20 MA
18

Bibliotheca
[...]ri Coll. Rom.
[...]ciet. Jesu
21-6-26

6-22.c.2[...]

21
6
32

Cat. ins. C. R.

PSALMI DAVIDIS REGIS ET VATIS INCLYTI, A M. ANTONIO Flaminio & P. Franciſco Spinula Poëtis elegantiſsimis, Latinis verſibus expreſsi.

His acceſſere argumenta ſingulis Odis præfixa: Precatio filij Dei, & Canticum Mariæ Virginis, ab eodem SPIN. *carmine reddita.*

Colleg. Rom. Soc. Iesu

B. S.



ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioannis Steelſij, Anno
M. D. LIX.

Cum Priuilegio Regio.

Adriani Cribelli Me-
DIOLANEN. AD
LECTORES.

QVI merito cœli regē flagratis honore
  Tollere, & in laudes labra aperire
  ſuas,
Deſinite Iliados pugnas, euerſaq; re-
  gna,
  Pergamaque Argolicis diſcere aduſta focis:
Nil iuuat his celeres inſumere vatibus horas
  Somnia nil præter pernicioſa canunt.
Præſtat adornatum regali Dauida ſerto
  Audire hymniſona mira referre Lyra,
Vt varium ſtellis opifex perfecerit axem,
  Vt ſteterint iuſſu cuncta elementa ſuo,
Vt liceat lethum fugere, & nigri atria Ditis,
  Elyſioque, choris cœlicolumq; frui.
Flaminius lyrico cuncta hæc modulamine profert,
  Spinulaque, Aonij lumen vterque chori:
At fuit amborum quoniam mens vna canendi,
  Vna ſit amborum gloria & vnus honor.

ECA NAZ ... EMANUELE

AD ALEXANDRVM FARNEſium Cardinalem ampliſsimum, M. Ant. Flaminius

DVM ſe alij mediæ per amica ſilentia noctis
   Dulci ſopore recreant,
Hæc ego Ieſiadæ cithara mage dulcia ſomno
   Meditans canebam, dum dies
Clara ſuperueniens taciturnas pelleret vmbras,
   Chariſsimas vmbras mihi,
Quæ me ſenſerunt noctes vigilare beatas,
   Dum primus ipſe myſtica
Dauidis ad Latias deduco carmina muſas,
   Pijſq́; grata concino,
Non Iouis inſani referens malè ſanus amores,
   Non ebrioſa Liberi
Orgia, non ludos Phœbi, execrandáue ſacra,
   Sed maximi laudes Dei:
Tergeminum quem cœlicolæ venerantur, & vnum,
   Qui ſiderum vagantium
Multiplices curſus, qui magnum temperat æquor,
   Et omnium mortalium
Omnia facta videns ſua iuſtis præmia reddit,
   Suaſque pœnas improbis
Irrogat, & cunctas animalia cuncta per oras
   Alit benigno numine.
O vtinam hæc diſcant pueri, caſtæq́; puellæ,
   Menteſq́; ſanctioribus
Formentur ſtudijs, dum parua & mobilis ætas.

Quid

Quid ô parentes, quid iuuat
Futilibus nugis, & turpi carmine veſtros
Contaminare liberos?
Cùm liceat ſanctos illis verſare poëtas
Scientiæq́; pabulo
Diuinæ teneros animos nutrire, veneno
Dulci relicto: quo malo
Nullum aliud magis eſſe nocens puerilibus annis
Videre priſca ſecula,
Quamuis illa forent caligine conſita, necdum
Perfuſa vero lumine.
At tu prudentem iuuenili ætate ſenectam
O patriæ decus inclytæ
Farneſi æquiparans, poſt magna negotia, quando
Audire feſſus nobiles
Regum legatos ſummis de rebus, amœnos
Mirandula doctiſſimo
Mapheoq́; tuo comitatus te abdis in hortos
Et otio dulci iuuat
Mollibus & ſtudijs duros finire labores,
Tunc noſtra quæſo carmine
Perlege, nec tu Flaminij magis illa putato,
Quàm regis illuſtriſſimi,
Qui bello inſignis, pietate inſignior hoſtes
Inter, ferociaq́; agmina,
Seu poſitis armis tranquilla pace quierat,
Amore ſancto percitus
Æterni regis laudes, & maxima facta
Tali canebat carmine.

M. ANTONII MAIORAGII ad A. Calemerum Plantinidam.

INtegerrime Plantinida compar,
Nobilis, ſapiens, decuſq; vatum
Vates, qui quoties ſeueriorum
Vacas muneribus negotiorum,
Libris inuigilas ſacris libenter
Et mentem reficis laborioſam
Diuorum ambroſiaq;, poculiſque,
En iam maximus ille Idumeorum
Deflet crimina mœſtiore voce
Vates candidius, politiuſq;.
Hos ſeptem accipe nunc venuſtiori
Florentes facie Poëta cantus,
Confectos tibi Spinulæ labore:
Mox totum accipies bene expolitum,
Confectum tibi Spinulæ labore,
Romana Dauidem lyra canentem.

DE

DE DAVIDE REGE IVDÆO-
rum M. Ant. Flaminius.

ERam paterna abiectus in domo puer,
Cunctiſq́; fratribus meis
Minor, puſillum in monte paſcebam gregem.
Hîc ego ſub vmbris arborum
Dum læta tondet gramina pecus, maximi
Laudes canebam numinis,
Sonora tangens fila citharæ, quam meæ
Paruæ laborarant manus.
At ille ſanctus cœlitum rex, & pater
Qui ſumma tangit fulmine
Coruſco, humoq́; gaudet ima tollere,
Suum repente nuntium
Ad parua miſit tecta, qui meum ſacro
Liniret vnguento caput.
Abiecit ille viribus præſtantia
Fratrum meorum corpora:
Nec forma quicquam profuit, nec aſperis
Spectata virtus prælijs.
At ego puſilli paruulus cuſtos gregis
Ad regium decus efferor.

EIUSDEM FLAMINII PROLOGVS.

DVM *nigra iucũdos per languida mẽbra ſopores*
Nox irrigat mortalium,
Tu mecum tacitis hymnos meditare ſub vmbris
Cantu Latino barbite
Ieſſeo quondam Heroi modulate tyranno
Qui ſiue pulſus à fero
Montibus in ſolis erraret, ſiue reuerſus
In patriam ditiſſimas
Vrbes, & latos populos ditione teneret,
Noctes, dieſq; maximo
Cœlicolûm regi laudes cantare ſolebat.
At vos beati cœlites,
Eſt tutela quibus vatum commiſſa piorum,
Adeſte quæſo dexteri,
Et quæcunq; Syros docuit rex optimus olim,
Per Italas vrbes lyra
Dum memorare iuuat, facilem concedite cantum.
Rebuſque dignum maximis.

AR-

ARGVMENTVM PSALMI. I.

In quo beata vita ſit vates pius
  Hoc diſſerit poëmate,
Bonumq; felicem eſſe, contraq; improbos
  Fore omnium miſerrimos.

PSAL. I. FLAMINII.

*B*EATVS *ille, qui nec audit impios,*
  Nec perſeuerat improbus
Peccare, nec lætatur irriſoribus
  Se peßimis adiungere:
Sed mente pura diligit leges Dei,
  Illaſq́, ſemper cogitat,
Seu nox ſopore amabili, ſeu lumine
  Sol candido terram irrigat.
Qualis perennes orta propter riuulos
  Arbor feraces ramulos
Ornat quotannis fructuum lætißima
  Pulcherrimorum copia,
Suumq́, honorem ſeruat anni tempore
  Denſis amicta frondibus:
Talis piorum eſt vita, talis omnium
  Colentium leges Dei.
Hi, quicquid vnquam molientur, exitus
  Illo fauente proſperos
Habebit. Haud ſic improbi, ſed puluerem
  Vt turbo latè diſijcit,
Sic iactat illos impetus libidinum
  Nulloq́, conſiſtunt loco.

Ergo ſupremi iudicis cùm venerint
Tribunal ad iuſtiſſimum,
Cauſa cadentes, à bonorum candida
Turba procul, miſerrimi
Trudentur ima in tartara: quoniam Deus
Mores piorum diligit.
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
Hunc ſempiternis afficit.

ARGVM. PSAL. II.

Poëta coniurationem prçcinit
In Chriſtum Hebrææ gentis, ac regnum ipſius.

PSAL. II. SPINVLAE.

ECquid ſibi vult nationis iſtius
Inſana concitatio?
Ignitus ecquid gentium, & vecors furor?
Quænam duces, & principes,
Vt in Deum, *atque filium bellum inferant,*
Præceps agit dementia?
Cur inquiunt, Rumpamus horum vincula,
Queis nos volunt obſtringere,
Duræq́, ſeruitutis à collo nouum
Mox deiciamus hoc iugum?
At ſummus ille rector omnium Deûm,
Qui clara torquet ſidera,
Conatum inanem ridet horum, ac deſpicit:
Statimq́, cùm videbitur,
Conſumet hanc gentem impiam iratus fame,
Ferro, atq; peſtilentia:

Mul-

Multabit exilio reliquias pergraui,
Et rerum egeſtate omnium.
Qui præpotens ait Deus, *Regem efferi*
Quem vultus extinctum mihi,
Eum ipſe præficiam ducem vobis, ei
Liniam ſacro vnguento caput,
Sanctiſſimæq́; ciuitati, quam mihi
Montem ad Sionem condidi,
Præponam eum, qui maximis terræ iſtius
Eſt antelatus regibus.
Quapropter enarrabo decretum patris,
Qui me olim ita allocutus eſt,
Tu ſolus es natus mihi, te hodie Deus
Ego genui prolem vnicam:
Tu ſolus hæres es meus, tu particeps:
Quare thronum à me poſtula,
Hæreditaſq́; gens tibi, & poſſeſſio,
Amplumq́; patrimonium
Telluris vniuerſis orbis iſte erit:
Vbi tuum imperium potens
Omnem recuſantem improbum pœnæ grauis
Seueritate comprimas,
Et contumacem omnem tridente ferreo,
Vt fictile, effringas tuo.
Quare orbis huius ô duces, & principes,
Hæc diligenter obſecro
Audite, ea & mandate veſtris mentibus:
Seruite ſponte deprecor,
Seruite ſupremo patri cœleſtium,

Pare-

Parete decreto illius
Cum maximo timore, & acri cum metu
Sancto exilite de hoc duce,
De hoc vindice optatiſsimo: oſculamini
Regem hunc patris ſummi genus:
Ne, ſi furore exarſerit, ſtudiā feræ
Dedant neci vos peſsima:
Noſcatis & ſerò, beatus quàm ſit is,
Qui ſpes in ipſo collocat.

ARGVM. PSAL. III.

Gentis ſuæ rebellione queſtus hoc
Hymno, in Deo ſpem collocat.

PSAL. III. FLAMINII.

PAter beate, quid eſſe cauſæ exiſtimem,
Cur impio bello furens
Me perſequatur immerentem ciuitas?
Meam ſalutem perditam,
Et derelictam populus à tua pater,
Benignitate prædicat.
Sed quiſq; quod lubet loquatur, tu decus,
Certumq; præſidium meum es.
Nunquam fidem tuam pia inuoco prece,
Quin vocibus dexter meis
Aures benignas præbeas, & ſupplici
Optata dones omnia.
Ergo quieta mente vtramuis dormiam
In aurem, & hoſtium minas
Ridebo vanas: nullus vllo tempore
Belli tumultus, aut ferox.

Me

Me prælioꝛum territabit impetus,
Non ſi trecentis militum
Me vallet hoſtis millibus, & vndiq;
Mortem minentur omnia.
Exurge vindex ſcelerum, & hoſtium ferax
Compeſce vim crudelium,
Qui ſæpe, ſæpiuſq; me grauiſſimis
Iam liberaſti caſibus.
Tu perdidiſti Saulem, & omnes impios,
Qui belluarum immanium
Inſtar, ſalutem & ſanguinem meum hiantibus
Sæui appetebant faucibus.
Solus ſalutem, ſolus ô dulciſſime
Pater bona omnia ſufficis:
Solus colentibus piè numen tuum
Æterna donas gaudia.

ARGVM. PSAL. IIII.

Euectus in thronum fero extincto (arbitror)
Saule, & Dei benignitatem prędicat,
Et ſuadet hoſtibus ſuis, tandem ducis
Vt pareant iuſsis Deo cariſsimi.

PSAL. IIII. SPINVLÆ.

VOcem meam inuocantis exaudi pater,
Cuſtoſq; iuſtitiæ meæ,
Vindexq; criminis malorum, à maximis
Qui ſæpe vitam anguſtijs,
Periculiſq; vindicauiſti meam:
Me & nunc miſertus reſpice,
Aurem & tuam meæ benignus illico

Prelationi accommoda.

Claros ſed appellare mortales libet:
Quouſq; vos tandem mea,
Quouſq; abuſi maxima patientia,
Pergetis hanc incumbere
In curam, vt auferatis & vitam mihi,
Vitæ & per ingens dedecus
Inſignia, ornamentaq; omnia improbi?
Sed confertis quandiu
In iſta cogitationes obſecro
Inania, ac fallacia?
Videte quò omnis vſque vobis impij
Conatus iſte euaſerit,
Et conſilia præclara quid profecerint:
Nam quò magis me extinguere,
Vel nomen obſcurare per nefas meum
Freti manu veſtra, & dolo,
Et fraude contendiſtis, hoc magis Deo
Autore factum eſt, vt penes
Mortalium cœtus & illuſtriſsimus
Haberer, & mirabilis:
Quòd ſi quis è vobis meum inſidijs caput
Veſanus & nunc appetat,
Summum patrem inuocabo, pœnas qui iſtius
Iniquitatis exiget.
Quare metu tandem verendi numinis
Vitate mores improbos,
Vobis malum haud tantum ira præceps ſuaſerit.
Sed noctis hæc ſilentio,

Cùm

Cùm libera eſt, curiſq; mens ſolutior,
Quæ veſtra ratio poſtulat,
Conſiderate diligenter omnia,
Punire crimen, & ſcelus
Regem ſupremum, & eſſe iuſtitiæ ſacro
Fertiſq; placandum patrem:
Omnemq; ſpem deinceps locandam eſſe in DEO,
Non rebus in mortalibus,
Queis dediti nunquam ſequuntur vtile:
Deiq; prouidentiam,
Qua temperat cæleſtia, & mortalia,
Iſti negantes inquiunt
Mihi hos adhortanti: Iſta ſi præſtabimus,
Ecquis dabit nobis bona?
Quare pater, vultu oro ſplendidiſsimo
Tuo tuum gregem aſpice,
Vt cernat officia in eum DEI *omnia,*
Vinum, atque frumentum tua
A liberalitate nobis ſuffici:
Queis ipſe mirandum in modum
Donis tuis per te triumpho gaudio:
Cui maximis periculis,
Duriſq; defuncto laboribus tua
Clementia mirabili
Tandem pater DEûm *pie placidiſsima*
Pax eſt data, & ſecuritas.

ARGVM. PSAL. V.

Opem Dei implorat ferum in Saulem nimis Ipſi, & Deo aduerſarium.

PSAL. V. SPINVLAE.

VOcem meam exaudi pater clementiæ,
Precem meam oro percipe,
Attende clamorem meum ô numen pium,
Attende verba rex Deûm.
Nam ſupplices manus meas tendo tibi,
Te ſuſpicio ſolùm pater,
Vno repono ſpem vniuerſam in te meam,
Et omne præſidium mihi.
Mihi neq, vllum diligenti me diem
Videbis intermittere,
Quin te precer diluculo fluentibus
Per ora ſicca lacrimis:
Surgenteq, Aurora, omnibus cùm libera eſt
Humana mens curis, tuum
Orabo numen, atq, ocellis ſidera
Ad alta ſublatis poli
Auidiſſimè expectabo, clementiſſimus
Quoad feras opem mihi.
Nam cùm tuo niſi caſta, recta, & optima
Placere poſſint numini,
Spes hæc mihi certiſſima eſt, diutius
Non te eſſe paſſurum, impij
Paſſim vt bonos exterminent, ipſi in tua
Et ciuitate floreant,
Qui ſunt iniqui, & efferi, inſignes notæ
Omniq, turpitudinis.
Hos ire conſpectum in tuum certè haud ſines
Qui iuſſa reſcindunt tua:

Qui-

Quicunq; ſe vitijs, & artibus malis,
Et vanitate, aut fraudibus,
Aut ſanguine hic vitam ſuam contaminat,
Euertis illum funditus.
Verùm pater beate, ſublato omnium
Cœtu impiorum, pro tua
Tandem benignitate ſaluus, patriæ
Vrbis videbo mœnia,
Te fano adorabo tuo in ſanctiſſimo.
Sed interim quòd imminent
Hoſtes mihi, tuere vitam oro meam:
Et æquitate pro tua,
Vt ne incidam inſidias in illorum, mihi
Sis obſecro dux, & comes.
Nec me hoſtium metu ſine vllo tempore
Vitæ à via decedere.
Nihil ſolet vigere in ore horum, niſi
Incerta, fraudes, vanitas.
Animos auaros iſti & inſidijs malis,
Doloq;, & effrena ſibi
Gerunt redundantes cupidine, vt vides.
Qualis patenti iugiter
Efflatur è ſepulchro odor teterrimus,
Ipſorum ab ore prodeunt
Imbuta verba fœditate his omnia,
Nefarioq; crimine.
A me hos licet cognouerim auerſiſſimos
Semper, tamen ſpeciem modò
Quandam doloſi præ ſe amicitiæ ferunt.

Quin blandiuntur & mihi.
Quapropter erue hos pater, radicitus,
Et conſilia de me ſua
Tollendo iniqua prorſus impedi omnia.
Quòd crimen addunt crimini,
Et quòd ſacram violare legem audent tuam,
Ab vrbe depelle hos tua.
At impijs pœnas graues pendentibus,
Benignitati qui tuæ
Se crediderunt ſemper, & ſua omnia,
Ij continenter geſtiant,
Septiq; præſidio tuo vſq; gaudeant.
Et gloriari de tua
Hi liberalitate nunquam deſinant,
Qui diligunt numen tuum.
Quando integris vitæ caues, ita vt tua
Pietate eos, tanquam aureo,
Firmiſſimoq; protegas ſcuto, graui
Tutiſſimos à vulnere.

ARGVM. PSAL. VI.

Feciſſe Dauidem putant hæc carmina
Cùm de Vria interfecto, & vxore ipſius
Rapta, incidiſſet in mala, & morbum grauem.

PSAL. VI. FLAMINII.

NE quæſo dominè me tuus furor opprimat,
Neúe ira ſæuiat tua:
Sed qui pater mihi es, paterna filium
Seueritate punias.
Miſerere domine iám mei, iam triſtibus

Aurem querelis admoue:
Nam dura morbi vis miſellum conficit,
Me vita deſtituit mea.
Et tu quouſq; differes opem tuam
Meæ ſalutis negligens?
Quouſq; vultum iratus auertes tuum?
Tuo benigno lumine
Meos dolores intuêre iam pater,
Maliſq; tantis eripe.
Quid me oro morte rapere tam cita iuuat?
Ecquid ſepulchro conditus
Tui memor ero? ecquid tuas amabili
Cantabo laudes carmine?
Si cæde me, & lectum meum libidine
Contaminaui ſordida,
At lacrimarum me, meumq; lectulum
Lauabo largo flumine.
Me nulla nox, me nulla lux in poſterum
Non lacrimantem viderit,
Quanquam ſatis, ſuperq; ſupplicij datum eſt.
Mœrore iam contabui,
Fletuq; feſſa perdidi iam lumina,
Peccata perditus mea,
Iniuriaſq; meorum acerbas hoſtium
Dum flere nunquam deſino.
Recedite procul impij, recedite
Malas in oras: nam Deus
Suſpirijs, lacrimiſq; motus eſt meis.
Dominus pias preces meas

Benignus audiuit, ſalutem ſupplici
Donauit optimus pater.
Ergo erubeſcant, & dolore peßimi
Rumpantur hoſtes, & meæ
Felicitati quiſquis inuidet, procul
Fugiat metu perterritus.

ARGVM. PSAL. VII.

A Saule proditionis accuſatus eſt:
Quare his Deo purgare ſeſe verſibus
Studet, quibus teſtatur innocentiam
Suam, atque iuſtitiam Dei implorat ferum
In hoſtem, & ipſius necem prænuntiat.

PSAL. VII. SPINVLAE.

AB hoſtibus me vindica crudelibus
Rector Deorum, ſpes mea.
Qui belluarum immanium more, & feri
Inſtar leonis faucibus
Hiantibus meam ſalutem ita appetunt,
Et ſanguinem, vt qui maximè.
Quis me eripiat his domine ſi tu deſeris
Meæ ſalutis negligens?
Opem tuam fidenter imploro Deus,
Fretus mea innocentia:
Sum quippe qui mi conſcius me non ea
Contaminaſſe noxia
Vitam meam, quam criminatur impius
Hoſtis, neq; imperio ipſius
Feciſſe me inſidias: amaui quem vnicè,
Quouſq; ſeſe præbuit
Æquum mihi, coluiq; ſumma principem

Hunc

Hunc ſemper obſeruantia.
Cùm verò is vnum cœpit in me iniuria
Furijs malis præceps agi,
Tantùm abfuit, me vti, meoſq; vlciſſerer,
Vt cùm fuiſſet non data
Semel facultas enecandi eius mihi,
Pepercerim illi iugiter.
Si mentior, fac inſequatur ille me,
Neque is mihi ſolùmmodo
Extinguat animam, ſed etiam oro funditus
Euertat omnem gloriam.
Quòd ſi innocens ſum rector omnium Deûm,
Atque violenter afferunt
Hoſtes feri manus mihi, illorum nefas
Silentio quid præteris?
Quid in ſceleſtos vteris clementia?
Vtare iam potentia.
Oppone vim ſeueritatis quæſo vi
Crudelitatis barbaræ.
Tu, qui imperaſti ciuitatum regibus,
Vt puniant iniurias,
Idem ipſe tandem præſta, & iniuſtiſsimo
Pœnam à tyranno hoc exige.
Vt quæ eius exemplo ſcelus committere
Gens audet hæc intelligens
Cauere te inſonti, impiumq; plectere,
Piè colat numen tuum,
Ac ſentiat regem ſupremum cœlitum
Curare te mortalia:

Qui recta ſtatues iudicia certè breui
His gentibus ſic omnibus,
Vt cuilibet ſis erogaturus malo
Pœnas, bonoq́ præmia.
Sed quæſo matura, & videns me iniuria
Vocatum in hæc pericula,
Miſertus innocentis, oro me tegas,
Hoſtiſq́ frangas impetum,
Sceluſq́ de medio improbos tollat ſuum,
Me integritas mea adiuuet
Per te, tua qui pro æquitate omnis boni
Rationem habes, & impij:
Nec falleris, qui in intimas introſpicis
Affectiones omnium.
Non eſt, quòd ipſe iam reformidem, mea
Vita, & ſalus ſummi in patris
Eſt quando tutela tegentis qui colunt
Virtutem, & innocentiam:
Qui iuſtus eſt iudex, fauet pijs, malos
Punire nunquam deſinit.
Quare vniuerſi hoſtem meum videbitis,
Mutet niſi is ſententiam,
Per dedecus perire: nam rector Deûm
Minatur huic quotidie:
Genio ſiniſtro qui tamen non corrigit
Sententiam, & mores ſuos,
Sed caute ferrum exaſperat magis ſuum,
Componit, & tendit ſibi
Arcus aduncos, ac venenata in pium

Tela, & ſagittas præparat.
Eamq́; perniciem, & quod in me callidè
Hic machinabatur ſcelus,
Nunc edit in lucem: quod hic conceperat
In me nefas, tandem parit,
Is, quippe qui omittit nihil fallaciæ
In me quod haud excogitet,
Quæ vis mihi intentata ab illo eſt, in caput
Statim redundabit ſuum.
Quæ iniquitas cædem in meam illum exercuit,
Vertetur exitium in ſuum.
Defunctus at periculis ego omnibus,
Grates agam magnas patri
Pro maximo recto eius: & nomen Dei
Hymnis feram, atq; laudibus.

ARGVM. PSAL. VIII.

Sanctum gregem induci putant interpretes
Græci, & Latini, qui ducis victoriam
Noſtri canat, Deiq́; nomen prædicet,
Eiusq́; mira dona in humanum genus.

PSAL. VIII. SPINVLAE.

REx noſter ô ſumme omnium rerum Deus,
Quàm magna, & ampla, & nobilis,
Quàm nominis celebris eſt tui in polo, &
Terrarum in orbe gloria.
Notum Sioni nomen hoc vni, tuæ
Aprolis aduentu exteras
Ad nationes vniuerſas totius
Mundi peragrauit ſtatim
Viros per indoctos, rudes, & ſimplices,

Vt eſſe paruulus ſolet.
Paſsim vnde mortales cupidini inſitæ
Seruire deſinunt ſuæ,
Viſq; hoſtis euerſa eſt, & erutum illius
Regnum tyranni funditus.
Ego proinde tardi corporis cùm vinculo
Iſtius euolauero,
Non ad latebras inferorum, cœlitum
Feſtinus at domos petam:
Globos vbi immenſos Olympi, & ſidera
Mirabor, vt ſunt, maxima,
Solem atq; Lunam, & omne opus mirabile,
Quod finxeris manu tua.
Quare creator omnium mortalium,
Vindex, parens, rector, ſalus,
Cùm mente ſobria peragro tot tua,
Et tanta ſtudia, vel magis
Pietatem inauditam hoc in humanum genus,
Miratus excellentiam
Hanc munerum tantam tuorum, exclamo ita,
Quis eſt homo, quòd ipſius
Clementia tanta ſaluti conſulis?
Quis eſt homo, inquam, rex Deûm,
Morbo quòd hunc, viſis laborantem graui
Per filium tuum, illius
Quòd vulneri mederis huius vulnere?
Non tu ſatis pater pie
Euexeras eum prius, cùm gloria,
Autoritate & maxima

Hunc

Hunc ipſum ita ornaſti, Deus quidam vt ferè
Mortalis hoc ſit in loco
Telluris ingenti? nam ei deſeruiunt
Quæ facta ſunt à te omnia:
Ipſius imperio, & poteſtati vnius
Permiſſa ſunt iumentaq́;,
Gregeſq́;, beſtiæq́; agreſtes, & genus
Omne alitum, atque piſcium
Vaſtiſsimi æquoris vias ſecantium.
Non tu ſatis, ſuperq́; cum
Euexeras prius? quid ingratiſsimum
Ad alta fers vſque æthera?
Rex noſter ô ſumme omnium rerum Deus,
Quàm magna, & ampla, & nobilis,
Quàm nominis celebris eſt tui in polo, &
Terrarum in orbe gloria.

ARGVM. PSAL. IX.

Formidoloſo ex prælio victoriam
Vates reportatam canit.

PSAL. IX. SPINVLAE.

SEmper tibi grates habebo cœlitum
Rex optime, & mortalium,
Quantas homo poteſt habere maximas:
Semperq́; conſilia tuæ
Et mira facta proudentiæ canam.
His iam neque oblectabo me
Rebus caducis, ſed voluptates meæ,
Omniſq́; delectatio
Sit conſtituta in te mihi deinceps volo.

Tantùm tuis de laudibus
Semper canam ad citharam tibi clemens pater.
Nam barbarorum copiæ
In patriæ fines miſellæ inuaſerant,
Menteſq; noſtras non minor
Et anxitudo olim, metuſque inuaſerat.
Sed ipſe res cœleſtium
E mentibus terrorem, & à noſtris ſtatim
Hoſtem expuliſti finibus:
Illumque anhelantem ſcelus teterrimum,
Cædeſque ſpirantem meras,
Ferrum, atque flammas ciuitatis aſperas
Tectis minantem his omnibus,
Dicto ocyus deleſti, opem nobis ferens:
Non paſſus es diutius
Nos confici mœrore clementiſſimus:
Sed pro tribunali ſedens,
Cauſamque diſceptans tuæ gentis piæ,
Tuliſti eam ſententiam,
Horrenda vt accuſaris aduerſarium
Voce, atq; telo exciderís,
Redegeriſq; nomen ad nihilum ipſius.
Quónam minæ illæ ô barbare,
Quónam tibi euaſere conatus tui?
An ciuitatem, & oppida
Direpta, & inflammata? ductæ coniuges,
In ſeruitutem, & liberi?
An memoria eſt deleta noſtri nominis?
An numen Hebræi impotens?

Numen

Numen ſupremum enim eſt Deus noſter, polos
Terrarum & orbem qui regit:
Sapientiaque ea gubernat omnia,
Vt non modò is mortalibus,
Sed cæteris rebus etiam quàm maxima
Benignitate conſulat:
Is vſque iudicia ſua exercet, bonis,
Nocentibuſque prouidens,
His debitas pœnas, & optatiſſima
Perſoluit illis præmia.
Ergo æquitatis ille cuſtos præſtò erit
Afflicto, & oppreſſo fauens,
Et ſublenabit miſeriam, ac incommoda
Gentis ſuæ omni tempore.
Quare tuæ clementiæ fident Deus,
Ad quos tui peruenerit
Hæc fama nominis recens, quoniam piè
Colentibus te proſpicis.
Hymnos canatis ò boni ſummo Deo,
Sacrum Sionem qui colit,
Et gentium oris omnium fama omnibus
Miranda facta numinis,
Arcana conſilia, atque iudicia omnia, &
Laudes celebrate ipſius,
Vt à ſuperſtitione vana ſe ad Dei
Cultum ſupremi conferant.
Iniurias acerrimè vltus eſt Deus
Noſter potens, genti ſuæ
Quas inferebant nationes impiæ.

Non

Non ſprenit eius lacrimas,
Quæ luctu & in mærore verſans hac prece
Numen fatigabat ſuum,
Miſerere domine iam mei, iam pro tua
Benignitate oro aſpice
Crudelitate quanta ab aduerſarijs
Heu vexor immaniſsimis.
Opem Deus fer alme, ſerua me obſecro,
Qui ſæpe me de faucibus
Lethi eruiſti ſupplicem: vt præconia
Laudum tuarum maxima
Congratulatione cunctorum ſacro
In hoc Sione prædicem.
Ad hunc modum implorabam ego ipſius fidem,
Eam ſalutem qui mihi
Dignatus eſt afferre præſentiſsimus,
Vt gaudio exiliuerim.
Quas comparabat hoſtis inſidias mihi,
Quæ liberis noſtris mala
Crudelis intentabat, inſidias eas,
Et ipſe ea incurrit mala.
Quòd ſi quis, vt fit, hæſitabat anteà
An præpotens rerum Deus,
Summuſq; procurationem harum omnium
Terrarum haberet, iam poteſt
Omnem ſuam hæſitationem ponere:
Quandoquidem rectum ipſius
Tam clarum, & illuſtre extitit, omnes vti
Suis ocellis viderint

Hunc

Hunc ipſum amata pro vrbe pugnantem ſua,
Hoſtiſq́ frangentem impetum.
Deum colentes quiſquis audet inſequi,
Non criminis pœnam ſui
Euadet vnquam:nam dehiſcente ad cauas
Humo inferorum corruet
Viuus latebras,id iubente numine.
Deus quidem ſæpe immemor
Afflicti & oppreſsi videtur,non tamen
Fieri poteſt,diutius
Vt lacrimas contemnat horum,& impios
Permittat inſoleſcere.
Quare premuntur cùm boni,ſemper Deus
Exurge,& aduerſarios
Contunde numinis tui oro:ne ſine,
Vt tam inſolenter ſe efferant
Superbi humunculi,potentia viri
Ne ad cædem abutantur pij:
Et ſemper exercere iudicia tua
Hæc perge,queis vitæ integros
Tueris,omnes & coërces improbos,
Vt ſe omnis hæc intelligat
Gens eſſe mortalem,caducam,natam ita,
Vt poſsit huic verti ſtatim
Repente,mutariq́ rebus aſperis
Fortuna florentiſsima.

ARGVM. PSAL. X.

In impios inuehitur,ac ſæuiſsimos,
Quorum ſecundæ res virum

Perſæpe commouent bonum, vt quæ carmina
Hæc continent, queri audeat.

PSAL. X. SPINVLAE.

HEu quid ſibi vult Rex Deûm, quòd tam procul
Bonis receßiſti à tuis?
Quid lumina à pijs tua auertis? quid hos
Tantis relinquis in malis?
Impunitate homo quid hac tanta improbus
Gentem tuam ſic vrgeat?
Quanta vide crudelitate omnis malus
Omnem virum bonum opprimat.
Pœnas rogo det fraudis, & laqueis ſuis
Irretiatur impius.
Quando furorem adductus eſt adhunc, vti
Quicquid libido iſti imperat
Effrena, quicquid poßit impotentia,
Rectum, & bonum id dijudicet.
Huc adde, quod propter ſuarum copiam
Opum hanc, & affluentiam
Ipſius vniuerſa auari comprobant
Studia, atque turpitudinem.
Quorum fit applauſu ſceleſtorum, is magè
Vt incitetur maximi
Ad numinis contemptionem iugiter.
Quapropter arrogantia
Maiore, quam præ ſe gerit, vultu effero
Elatus omnes in bonos
Hic continenter ſæuiens, numen tuum
Contemnit, & potentiam.

Quare nihil ſimplex in illo, nil bonum,
Nil inuenitur candidum.
Huic inquinata ſcelere ſunt vſque omnia,
Sunt tetra cuncta, & turpia,
Nil cogitationis arcana ipſius
Niſi alteri peſtem, & dolum,
Cladémue moliuntur immaniſsimam.
Obduxit huic caliginem
Nequitia, diræ mentis effoſſum improbo
Huic omne lumen occidit.
Præ cæcitate maxima recti tui
Serenitatem non videt,
Vt eius aſpectu grauiſsimo artibus
Deterreatur à malis.
Qui comparauit hanc potentiam ſibi,
Suos vt aduerſarios
Flocci vniuerſos pendat. hic fidit ſibi,
Tantoſq; ſumpſit ſpiritus,
Felicitatem vt ſempiternam auſit ſuæ
Tyrannidi promittere,
Modumq; ad hunc ſecum loquatur, Nulla vis,
Non vllaq; hic potentia
Eſt tanta, quæ turbare ab hoc ſtatu optimo
Me poſsit vllo tempore.
Ero potens, ero beatus iugiter.
Quid de ipſius mendacijs,
Quid de execratione, quid de fraudibus,
Dolóue dicam queis ſtudet
Alijs obeſſe? quod refert ore, ad viri

Id ſpectat omne iniuriam,
Nec non & exitium, atque perniciem boni.
In ciuitate non modò
Hic vſquè debacchatur, agros ſed etiam,
Ipſosq́; ſaltus obſidet.
Vt tranſeuntes excipiat, & publicam
Viam cruenter ſanguine.
Qualis cùm in inſidijs leo Getulus eſt,
Hinc præda ſi qua ſe offerat,
Modò huc, modò illuc toruus attentè aſpicit,
Sic machinatur impius
Noctes, dieſq́; quomodo inſontem virum
Circumueniat, & opprimat,
Inuadat, occidatq́; vti ſuam expleat
Crudelitatem eius nece:
Obſeruat incautos, vt omnes poſteà,
Quàm ceperit, bonos voret.
Atque vt feræ inuaſuræ in oblatam ſibi
Prædam, ſolent accumbere
Aluo ſuper, quanquam comas arrexerint,
Et ora hient cum faucibus
Exercitis fame, impetu vt ruant feram
Maiore in aduerſáriam,
Sic ſe ille nonnunquam gerit ſubmiſſius,
Improuido quõ facilius
Viro inferat ſimulatione ea manus.
Quin impiè iactat Deos
Curare nullos orbem, & humanum genus,
Habere nulla numina

Pror-

Prorſus mali, inſontiſque delectum, omnia
Caſu, atque fortuna hic regi.
Quapropter ô ſumme omnium rerum Deus,
Armato dextram fulmine,
Repenteque arrogantiam tantam pete:
Vt qui Deos mortalium
Habere rationem negabat, maximo
Habere te malo ſuo
Is ſentiat patrem, ſalutarem bonis
Formidoloſumque improbis.
Cur execratione hic audeat tuam
Benignitatem inceſſere?
Cur audeat iactare, te quod ipſe agit
Contemnere, & non plectere?
Sed ille, quam volet, loquatur hoc nefas:
Quod quiſq; cogitat, facit,
Effatur, affectat, cupit, tentat, mouet,
Hæc omnia ipſe conſpicis,
Pœnam erogaturus malis ingem, bonis
Perennitatem gaudij.
Quare pio, qui deſtitutus non minus
Eſt omnibus mortalibus,
Parente quàm orbatus puer pauperrimus,
Pater beate conſule,
Qui ſemper hos ſoles iuuare, quos homo
Infidus olim deſerit.
Infringe opes maligni, & ipſum omni impium
Contaminatum crimine.
Vt cum viro iniuſto nefas vnà, omnis &

Iniquitas ſua occidat.
Hi mentiuntur ergo, qui ſummum negant
Curare mortales Deum:
Affirmo quem longiſſimo vſu temporis,
Et doctus experientia
Ipſius auxili, hæc gubernare omnia
In ſempiterna ſecula.
Si verum hoc eſt, ecquis neget pœnā improbis,
Et conſtituta præmia
Vitæ integris? quare peribunt impij,
Nefarijq́, funditus.
At priſtinum ſtatum obtinebit, & decus
Maioraq́, illis vir pius.
Quòd tu Deus morem geris cuique optimo,
Afflictum, & oppreſſum iuuas:
Quod expetit, largiris, illius preci
Aurem benignus applicas:
Precatur autem iniurias omnes vti
Punire digneris ſuas,
Sibi vt patrocinere pupillo Deûm
Supreme rector omnium.
Vt, quos nequit virtutis exhortatio
Tenere in officio, mali
Quàm maxima ſeueritate ſupplici
Timore reuocentur tuo.

ARGVM. PSAL. XI.

Ipſi fugam ſuadentibus, ne à principe
Sæuo necaretur, Deum dicit viris
Cauere iuſtis, impioſq́; euertere.

PSAL. XI. FLAMINII.

DEo mea ſpes nititur: quid dicitis, Dauid.
Veſtris vt auolem procul
A montibus? miſella ſicut auicula,
Quam ſæuus accipiter feris
Adurget vnguibus, fame rabida furens. Amici.
Quia hoſtis ecce barbarus
Arcum tetendit iam, ſuas vt imbuat
Tuo ſagittas ſanguine,
Et diſsipatis legibus, miſeris nihil
Ad ſpem ſalutis linquitur.
At ego quid egi, cur meam vitam mihi Dauid.
Auferre tendat impius?
Sed præſidet templo Deus ſancto, Deus
Cœlum beatus incolit,
Hinc perſpicaci cuncta luſtrat lumine
Rerum omnium arbiter parens,
Sua vt potente dextera bonos iuuet,
Maloſq; iuſtus puniat.
Explorat ille ſæpe rebus aſperis
Pios, vt aurum feruidus
Explorat ignis, opprimi tamen vetat:
Contraq; tempus ad breue
Florere permittit malos, cruciatibus
Quos deinde longis afficit.
Quapropter hoſtis impius niſi iam ſuo
Ponit furori terminum,
Prædico, funditus peribit obrutus
Igne, procellis, ſulphure:

Nanque æquus æquitatem amat Deus, & pios
Placido intuetur lumine.

ARGVM. PSAL. XII.

Hoc ſeculi de moribus cantu ſui
Queſtus, patri almo pro ſalute ſupplicat
Bonorum, & inducit loquentem ipſum Deum.

PSAL. XII. FLAMINII.

BEnigne cœlitum pater, ſerua obſecro,
Opemq; fer: pauciſſimi
Nam ſunt, quibus confidere, aut poſſim meam
Tutò ſalutem credere.
Mendacio iam pulſa turpi veritas
Receſſit alma ab vrbibus,
Fideſque, ſanctuſque pudor, & ſoror illius
Sinceritas amabilis.
Quod ſi quis vnquam blandiatur, & omnia
Loquatur ore dulcia,
Tu verò ab illo tibi potiſſimùm caue.
Te lingua blanda ab improbo
Auellet ore præpotens rerum Deus:
Tu magna qui ſemper loqui
Gaudes, cum iratum, tuæque vindicem
Linguæ proteruæ ſentias:
Tu, qui furore percitus, Lingua mea
Opes mihi, & potentiam,
Dicis, parabo: liberum os gero, & geram
Semper: quis imperet mihi?
At hæc nefandus dum nefaria euomit,
Cœleſtium rex maximus

Orationis impiæ iactantia
Commotus, Exurgo iam, ait,
Exurgo, iamque opem ſalutarem affero
Benignus afflictis: mihi,
Qui vexat illos, impius pœnas dabit.
Sincera verba numinis,
Auroq́ puriora ſunt puriſſimo,
Quod igne ſæpe, ac ſæpius
Purgauit artifex monile regio
Sponſo laborans nobile.
Tu gente nos ab impia rex optime
Seruabis, & clementiæ
Scuto tuæ firmiſſimo tela hoſtium
Longè repelles omnia:
Tuti vagantur improbi, & bonis malam
Peſtem, doloſque comparant,
Contaminata mente cùm vir vrbibus
Seruire dignus imperet.

ARGVM. PSAL. XIII.

Graui malo vexatus hoc poëmate
Opem Dei implorat, vicem ſuam dolens.

PSAL. XIII. FLAMINII.

QVouſq́ domine linquor in tantis malis?
O columen, & ſalus mea
Quouſq́ pergis eſſe non memor mei?
Dic oro, quandiu dies,
Noctesq́ lacrimis madebo, & anxius
Deliberando diſtrahor?
Quouſq́ ſupplicem tuæ clementiæ

Crudelis hoſtis opprimet?
Aures tuæ ſatis diu pater à meis
Abhorruêre queſtibus:
Satis, ſuperq; vultus auerſus tuus
Omnem mihi lucem abſtulit:
Iam quæſo, iam candore luminis ſacri
Meas tenebras diſsipa:
Ne fortè durus mortis obrepat ſopor,
Dum nulla donatur quies.
Ne quæſo, ne amplius mala inſultans mea
Hoſtis triumphet gaudio:
Sed quanquam ab omnibus miſera ſalus mea
Proiecta ſit mortalibus,
Bonam tamen ſpem non abijciam, tuæ
Nitens opis fiducia.
Pater beate maximas tibi gratias
Ago, tuum qui ſupplicem
Tam dexter audis, & malorum fluctibus
Tantis benignus eripis.
Iam iam querelas flebiles, ſuſpiria
Iam pono lætus triſtia:
Et fonte quicquid carminis fluet meo,
Pater tibi omne conſecro.

ARGVM. PSAL. XIIII.

Hymno hoc Dei in temptorem, & innocentiam
Hic deprimentem inuehitur, de ipſum bonis
Mox pollicentem opem ſuam inducit Deum.

PSAL. XIIII. SPINVLAE.

NVmen Dei quid eſſe commentitium
Inſanus à verò putas

Auer-

Auerſus, eſt cui læua mens, & impia?
Quò liberius amens ſine
Formidine æterni Deorum ſupplici
Deſeruiat libidini.
Quid verò in hanc opinionem, quam putant
Vel nationes barbaræ
Ita execrandam, vt vindicent pœna graui,
Induxit illum protinus?
Quid? turpitudo vitæ, & affectus mali,
Quò ſe cupidini improbo
In ſeruitutem dedidere, & perditis
Hîc vniuerſi moribus.
Hos ergo collustrauit è cælo ſua
Acie pater cœleſtium,
Si quem videret in grege hoc mortalium
Intelligentem numinis,
Veriq́; ſtudioſum: quibus mentem, atq; vim
Intelligendi ad hoc dedit.
Inaniter ſed ille deſpexit poli
De ſempiternis ædibus.
A dignitate enim ſua defecerant
Omnes, & à cultu Dei,
Omnes ad vnum imbuti erant teterrimis
Vitijs, & artibus malis.
Quapropter almus ille rector ætheris
Incenſus ira maxima,
Profectò, ait, qui prædicant numen meum
Omnino non exiſtere,
Et hac opinione freti crimine

Omni ſuam vitam inquinant,
Gentemq́ue corrumpunt meam exemplo ſuo,
Truceſq́ eam, ſicut lupi,
Eiuſq́ fortunas ſtudent cupidine
Vorare non explebili,
Hi ſentient magno ſuo diſcrimine
Vimq́, & poteſtatem meam:
Quem non colunt, ſed numinis loco ſuas
Libidines, potentiam,
Opes, honores, arrogantiam colunt.
Quin me colentes iugiter
Crudelitate perſequuntur maxima.
Sed quæ vices manent eos?
Et quanta ſupplicia mihi pendent? ego
Iſtis locum ipſis præparo:
In quem locum furore deiecti meo,
In his erunt cruciatibus,
Vt nulla reſpirandi eis futura ſit
Vnquam poteſtas, vſque ſed
Frangentur ærumnis, & horreſcent noui
Noua mali formidine.
Plectentur hac pœna maligni, qui Deum
Temnunt, & exedunt pios:
Iniuriam impunitam eorum non feret,
Adeſt quibus ſator Deûm,
Vos quanquam iniqui conſilia boni omnia,
Et inſtituta illudere
Soletis, & putare ridiculum hominem,
Quòd ſpem locans in me ſuam,

Numen meum colat, mihi quòd ſe, & ſuas
Hîc actiones dedecet.
Sed nos vt Iſraëlis electum genus
Deus è Sione quem colit,
Et reſpiciat, & liberet clementia,
Ac lenitate pro ſua:
Aſperrimum quò ſeruitutis barbaræ
Collo hoc repellamus iugum.
Quod ominor, continget: à tyrannide
Iam vindicabit nos Deus:
Iam recreabit, iam fouebit, & citò
Reducet in primas domos:
Vbi fruamur ſemper & dulci otio,
Et pace candidiſſima.

ARGVM. PSAL. XV.

Genti ſuæ præſcribit iſtis verſibus
Normam piè viuendi, vti ſummo Deo
Cariſsimi ſint, conquieſcantq; in ſua
Tutiſsimi vrbe, patriæq; finibus.

PSAL. XV. FLAMINII.

PAter ſupreme, quis tuum templum incolet? Dauid
Dic oro, monte quis acquieſcet in tuo?
Qui purus omni à labe iuſtitiam colit: Deus.
Qui diligenter curat, vt mentem mala
A cogitatione ſeruet integram,
Nec immerentes ore vexat improbo,
Nec alteri nocere ſolummodo cauet,
Sed ſi quis illum lædat, auxilio venit,
Iniuriamque prohibet: hic malum, licet
Ditiſſimum, licet potentem, negligit:

At quos amantes viderit Deum, colit,
Veretur, obſeruat, loco quanquàm infimo
Iacêre cernat rerum egentes omnium:
Nec, ſi quid vnquam iurat, vnquam peierat:
Non ille fænori pecuniam daret,
Illámue reciperet, licet pauperrimus,
Vt innocentes opprimat, vel maximam.
Qui ſeruat hæc immobilis ſemper manet,
Deoq́ carus viuit, & mortalibus.

ARGVM. PSAL. XVI.

Chriſtum loquentem inducit, & mortem ſuam,
Nouamq́ vitam præcinentem, & commoda,
Deus recepit quę pio, immortalia.

PSAL. XVI. SPINVLAE.

INgrata & importuna gens vitam ſtudet,
Nomen meumq́ extinguere:
At ipſe me ſeruum tuum clemens pater
Horum tuere ab impetu.
Nimirum ego in ſumma tua clementia
Spes, atq́ præſidium meum
Mihi omne collocaui, ego & noui, neq́
Narrare cunctis deſino
Te, te meum eſſe numen, & Deum mihi,
Præpono quem ſolum omnibus:
Quicquam neq́ eſſe tam paratum vnquam valet,
Quàm mens mea ad piè tuo
Inſeruiendum numini ſanctiſsimo.
Verùm quid hæc prodeſt rogo
Tibi & voluntas, atque alacritas mea

Tam

Tam prompta rex cœleſtium?
Tu quando ſeiunctis malis, & omnibus
Incommodis, æternum agis
Æuum beatior beatitudine.
Eſt quicquid aut pulchrum, aut bonum,
Aut vtile, id benignitatis maximo
E fonte permanat tuo.
Ac proinde commodare cùm poßim tibi
Nulla in re, vti rerum omnium
Mortalium autori vni, & immortalium,
Quid reſtat ergo, te niſi
Vt vſq; adorem, & numen auguſtißimum
Tuum colentes diligam?
Qui præditi virtute, ſanctitateq;
Tellure in hac miſerrima
Mecum peregrinantur, ipſe quos pater
Ante orbem amaſti conditum,
Eoſq; multitudine è mortalium
Tunc mente lectos cœlitum
Ad deſtinaſti ſempiterna gaudia.
Hos ergo rebus omnibus
Iuuabo, quò vitam ad beatam tranſeant.
Atq; hæc ſtudia tibi mea
Perinde iucunda, atque grata erunt, quaſi
Tributa numini tuo,
Contrà impios odi, bonos qui non modò
Hos inſequuntur, ſed etiam
A te Deus ſupreme deficiunt, vti
Argento, & auro ſeruiant,

Vanæq́ gloriæ labore tanto, vti
Perſæpe ſuccumbant ei,
Ac decidant feſtini ad ima tartara.
Iſti ergo ſint procul mali:
Deteſtor illorum ipſe cæremonias,
Deteſtor & manantia
Cruore ſacra cuncta: nec dignos eos,
Quos nomine appellem, puto.
At vos beati, qui mihi vos, veſtraq́
Grati dicaſtis omnia.
Merces enim pietatis huius eſt Deus,
Et ſempiterna fauſtitas.
Beati item mei labores, quos manet
Eadem remuneratio.
Qui me ſequentur, qui tuum nomen colent,
Hos maximis conatibus
Vſque impij expugnare tentabunt mihi,
Sed ſuſtinebit hos pater.
Præclara, luculenta certè hæreditas
Et elegans venit mihi,
Amœna tellus atq; fæcundiſſima,
Ac gentis humanæ decus
Pater mihi aſſignauit: ingentes ago
Cui gratias, quòd me fouet,
Quòd conſulit nato ſuo, quòd intimas
Affectiones, quæ ſolent
Mentem auocare noſtram honeſto, & vtili,
Sic obſecundantes facit,
Vt ad ſtudia virtutis & nocte, & die

Per-

Perſæpe me impellant ſibi.
Quare mihi obuerſatur ante lumina
Semper Deus numen meum.
Nil exequi, conari, & audeo loqui,
Quin illum adeſſe cogitem.
Nec fallor, is certè benignus, optimus
Adeſt mihi omni tempore,
Conſtantiamq́; ſufficit præſens mihi,
Ne victus hoſte corruam.
Quapropter animus iam mihi non triſtis eſt
Sed gaudet admodum meus,
Tuiq́; corpus acquieſcit ſupplicis
Rex ſumme promiſſo in tuo.
Quandoquidem haud illum feres diutius
Videre nigra tartara,
Verùm reduces mox ab Orco, haud hoc ſines
Corruptionem perpeti.
Quin & viam dignatus es mi oſtendere,
Mortem feram qua euaderem,
Qua peruenirem vitam ad æternam, ad bona
Recepta numine à tuo
Perennia, atq; iugem opum affluentiam,
Veram ad voluptatem & Deûm
Iucunditatem, ad gaudia immortalia:
Quæ ſemper ipſe in promptu habes,
Quæ liberali omni bono optimus tua
Largiris vſq; dextera.

ARGVM. PSAL. XVII.

A Saulo vexatus, ſuam committere

Studet

Studet ſalutem numini, innocentiam
Canens ſuam, factumq́; crudele hoſtium.

PSAL. XVII. SPINVLAE.

PRecem meam inuocantis exaudi pater,
Attende clamorem meum:
Quas edo voces ſentiens ita, vt loquor,
Aurem tuam his accommoda.
Tandem ipſe diſcepta Deus cauſam meam:
Summumq́; ſi periculum
Iniuria, & diſcrimen affertur mihi,
Faue innocentiæ meæ:
Cunctiſq́; declara eſſe recto nil tibi
Antiquiuſq́;, & ſanctius.
Quò ſæpe, ſæpiuſq́; rebus aſperis
Animum meum explorans, nigris
Circum pater fundens tenebris me tuum
Afflictionum ingentium,
Satis probaſti me, atq; tentaſti diu,
Certis & indicijs meæ
Affectionis numen aduerſus tuum
Me comperiſti non eum
Eſſe, à via recta qui aberrem, vel nefas
Sequar, ſalutis gratia
Mihi tuendæ, aut vindicandæ iniuriæ.
Nam ſemper, vt tu præcipis.
Ab impiorum temperaui, & tempero
Congreſſu, & vſu, & moribus.
Horum tamen quicquam mihi non arrogo,
Tuæ quod eſt clementiæ.

Quapropter appetitiones obſecro
Animi mei corrobora,
Sequantur vt legem tuam cupidiſſimè.
Hac ſpe tuam imploro fidem,
Quòd ſæpius me ſubleuaſti ſupplicem:
Et nunc precantis obſecro,
Ne orationem, & verba in extremo mea
Periculo contempta habe,
Sic impetum ruentis in me hoſtis feri
Repelle dextera tua,
Miremur vt tanta te in omnem vti bonum
Clementia rex cœlitum.
Et certè ea vſq; liberalitas fuit
Tui ſupremi numinis,
Vt ſuſtineres nunquam eorum opes, tibi
Qui ſupplicarent, erui.
Non me impij oppugnant Deus, ſed te magis:
Hi quando, quem tu principem
Summum tuæ gentis creaſti, à patriæ
Illum expulerunt finibus:
Et per iuga inſequuntur vſq; montium,
Valleſq; ſolitudinis.
At tu pater pie, vt cilia villis ſuis
Caram tuentur pupulam,
Defende dextera hoſtis incurſum tua:
Pullos volucris vt pia
Alis fouens defendit à Miluo, meam
Sic tu ſalutem peruelis
Munire tegumento tuæ clementiæ.

Con-

Contra feri hoſtis impetum,
Qui me obſidet, ſeſeq́, iactare in Deum,
Cunctoſq́, mortales ſolet
Per arrogantiam, quam alit rerum omnium
Huic iugis affluentia,
Contemptionemq́, vſq́, numinis parit,
Superbiamq́, maximam,
Quapropter is nullo metu perterritus
Concurſat huc, illuc dies
Noctesq́; cogitatione qui & acie
Prorſum vno in hoc intentus eſt.
Spectans humum, me vt enecet crudeliter.
Qualis leo impulſu famis
Curſu incitato per nemus ſe corripit
Ad prædam, (& interim ipſius
Natus latebris ſe tegens, circumſpicit,
Si qua offerat ſeſe fera)
Crudelis oppugnat caput meum impius.
Data eſt tyranno impunitas
Satis diu, ſatis diu innocentiam
Vexauit efferus meam:
A lenitate iam ad tuam iracundiam
Veni obſecro numen meum,
Hoſtiſq́, conatus mei præuertere:
In me is quidem inuadit furens,
At tu ſolo matura eum proſternere,
Et impetum eius frangere:
Vitam meam mucrone defendas tuo
Ab efferis mortalibus:

Ab efferis mortalibus manu tua
Et vi aſſeras me prôtinus,
Qui collocant in rebus his fugacibus,
Vanis, caducis ſpem ſuam:
Atq; ſaciantur his adumbratis bonis:
Ac ſe beatos iudicant,
Si perfluant omni voluptate, & comes
Vitæ his ſit indolentia,
Auro ſi abundent, cæteriſq; copijs,
Terræ ſinu quæ in intimo,
Veniſq; delitent, domus ſi filijs
Vxoribusq; floreant:
Opes quibus poßint relinquere, hîc ſuæ
Quæ ſupererunt libidini.
Iſti expleantur his bonis fallacibus:
Certè ipſe iuſtitiam colens,
Mentem meam, quantùm poteſt, à ſenſibus
Et corpore abducam, in tua
Et vſq; contemplatione, ſpiritum
Quoad voles me ducere,
Hîc conquieſcam, tum quidem ex ſententia
Satiandus Orco vindicis
Vmbram mei cùm excieris nati tui
Æuum ad perenne corporis

ARGVM. PSAL. XVIII.

Oden poëta iſtam, ſuæ victoriæ
Cantauit autori, hoſtibus victis, Deo.

PSAL. XVIII. SPINVLAE.

TOto (quod aiunt) pectore vſq; diligam

Te præpotens rerum Deus,
Qui fortitudinem mihi vſq; ſufficis:
Tu te mihi præbes, quaſi
Arx ferrea, arx ſuperba, inexpugnabilis,
Locúſue ſeptus vndiq;:
Tu de omnibus periculorum caſibus,
Anguſtijſq; me eripis,
Tu ſumme propugnator es parens Deûm
Mihi ſalute pro mea.
Pietate ſcilicet pium vſq;, & maximum
Colui Dei numen mei,
Et ille me ſemper vocantem, & ſupplicem
Audiuit implorantem opem:
Meorum & omnium mihi diſcriminum
Fuit comes fidiſſimus.
Per ſempiternum hoſtem ipſe lethi anguſtijs
Premebar, & me incurſio
Hoſtilis, incitata nimium more aquæ
Torrentis examinauerat.
Erynnis & circumplicarant me feræ
Iam mortis ipſa vincula,
Non vllaque euadendi erat ſpes tum mihi;
Vrgebar armis vndiq;.
His ergo tot, tantiſque cùm malis mala
Alia viderem accedere,
Confugi ad almi numinis clementiam,
Nec me fefellit ſpes mea.
Clamore enim inuocantis audito pater
Incenſus ira excanduit:

Statim venenatus ſagittis dexteram,
Et fulmine armatus ſuam
Rex exiliuit, atq; nigrantem ægida
Concuſsit, extemplo omnia
Telluris hæc ſola ipſius quaſſata ſunt
Terræq; motu, & horrido
Fragore montium ſimul trementium
Grauiſsimè oris omnibus.
Vomebat ille naribus fumum, oreq;
Edebat ignem, & faucibus
Ardentem: & inclinauit æternos polos,
Deſcendit: & ſanctiſsimos
Caligo diffundebat atra ſe Dei
Subter pedes latè ipſius.
Volabat immenſum citus per aëra,
Inuectus almo cœlite,
Aliſq; ventorum, ſui prætorij
Nubes erant nigerrimæ
Et denſæ aquæ integumentaq;, inuolucraq;.
Cæcas tenebras; præpotens
Vbi latet pater, micantium ignium
Sic fulgor illas diſcutit,
Vt grandine horrida, procellis, fulgure
Commiſceantur omnia.
Tonat ſator Deorum, Olympus contremit:
Hoſtemq; ſic meum petit,
Vt grandine horrida, procellis, fulgure
Commiſceantur omnia.
Triſulca librat tela, campos illico

Sternit cadauere hoſtium.
Ad has patris minas, ad ignem, naribus
Quem iratus efflabat ſuis,
Retecta fundamenta ſunt terræ omnia,
Aperti aquarum gurgites.
Me ab hoſte liberauit immaniſſimo,
Tutatus eſt vitam meam.
Pro dignitate, pro ſalute eò mea
Pugnauit acrius pater,
Quò ſæuus hoſtis in me erat crudelior:
Inuaſerat me callidus
Repente, dificillimoq; tempore
Bellum inferebat hoc mihi,
Miſerrimo, euadendi vt in tot prælijs
Oſtenderetur nulla ſpes,
Cæleſtium cùm rex mihi præſtò fuit,
Statimq; præſidio ſuo
Dignatus eſt firmare ſic vitam meam,
Vt hoſtis impetu fero
Me vnquam per hunc nequiuerit proſternere.
Periculorum anguſtijs
Cùm preſſus vrgerer, mihi latiſſimam
Muniuit ille mox viam,
Tranquillo & in tuto locauit, quòd me amat,
Sibiq; habet cariſſimum:
Integritatis erogauit præmia
Mihi meæ pulcherrima,
Animi meiq; puritatem maximo
Affecit ille munere:
Quan-

Quandoquidem præcepta legis ipſius
Obſeruo ſemper diligens:
Ea neq; vnquam elatus arrogantia,
Vt deſeram numen meum.
Defixa quòd ſemper mihi ſunt lumina
Sic legibus Dei ſacris,
Vt quicquid aut agam, aut loquar, vel cogitem,
Ad normam eorum dirigam.
Quàm legis obſeruationem, vitam ego
Prorſum mihi malo eripi.
Nam ſemper ipſi adhæſeram ſummo patri,
Meq; integrum ſeruaueram,
Sincerum ab omni labe vitiorum, à malo
Purumq;, ab omni crimine
Me temperaueram vſq; diligens: ita
Cùm me Deo ſummo auſpice
Tractaſſem, is & magno innocentiam meam
Et puritatem munere
Eſt proſecutus, vniuerſa qui videt.
Nam quiſq; qualem ſe gerit,
Aduerſus illum te Deus præbes: vti
Æquum tuum colentibus
Pro ſanctitate ſoluis ampla præmia,
Sic quem ſolet peruerſitas
Morum à tuo recto ad nefas conuertere,
Sceluſq;, in hunc acerbus es.
Defendis oppreſſum virum vitæ integrum,
Ac ſe efferentis ſpiritus
Viri ſuperbi deprimis iuſtiſſimus.

 Per

Per te Deus caliginem
Malorum, inertes & tenebras omnium
Euaſi, & hanc lucem & mihi
Quietis aſpexi diem pulcherrimum.
Per te hoſtium deleuimus
Iſtorum opes, & oppida expugnauimus,
Vrbeſq; munitiſſimas.
Quicquid Deus molitur, & quicquid facit,
Simplex, & eſt æquiſſimum,
Veriſſimæ promiſſiones illius.
Clementiæ qui numinis
Fidunt, tuetur hos, benignè & protegit.
Quis, præter hunc, Deus potens?
Quis, præter hunc, lenis? quod eſt numen, meo
Huic comparandum numini?
Qui fortitudinem mihi attulit pater,
Qua caſtra frangerem hoſtium,
Qui perficit ratio omnis vt vitæ meæ
Sit pura, caſta, & integra.
Quin ocyor fui per hunc ceruo leui,
In prælio, & victoria:
Nos quamlibet prærupta mox loca, omnia
Caſtellaq; expugnauimus.
Tu militaris me rei ſcientia
Ornas, & inſtruis pater:
Compreſſi, & excîdi illico omnium hoſtium
Per te meorum copias,
Non poſſe vinci quæ videbantur mihi.
Ope & tua ſemper Deus

De-

Defenſa, conſeruataq́; eſt ſalus mea.
Benignitate pro tua
Cùm fractus ingenti malorum pondere
Iam iamq́; ego procumberem,
Tu me ipſe ſuſtentaſti, & omnibus ſtatim
Auxiſti, & ornaſti bonis.
Quoties eis vrgebar ipſe anguſtijs,
Vt de ſalute dicerem
Mihi eſſe deſperandum, Olympi rex niſi
Me vindicaret ocyus,
Tu me eruiſti, & liberaſti protinus,
Locaſti & in tuto pater.
Quin perſecutus ſum hoſtis armatam manum,
Caſtra in fugam dedi omnia:
Fugêre, cæterum meas euadere
Citi nequiuerunt manus.
Cepi furens, deleui eoſq́; funditus
Cum gente ad vnum, & nomine.
Cecîdi eos, fruſtra mihi reſiſtere
Mucrone tendentes ſuo.
Iacuere enim cuncti interempti, qui mihi
Vſq; inferebant prælium.
Id contigit per te mihi, hoſtis territus
Vt ſe fugæ committeret,
Occideretur q́; inuocabat is ſua
Clamore magno numina,
Dum ſauciaretur, ſed illa neutiquam,
Vt quæ carent vi, & ſpiritu,
Exaudiere deprecantem mortem eum.

Vt puluerem Eurus diſsipat,
Conculcat vt lutum viarum ciuitas
Quotidie per compita,
Sic ipſe diſieci hoſtium atq; copias
Preſsi, atq; fudi protinus.
Sic inde ſeditione me gentis meæ
Iam liberaſti, olim quibus
Vexabar admodum, vt mihi non hæc modò
Libenter vſq; obtemperet,
Sed ipſa Palæſtina, & etiam natio
Non vna victa pareat.
Gentes mihi nam dedidere ſe exteræ,
Meiq; fama nominis,
Rectiq; confugêre permotæ ad meam,
Quæ eas tueretur, fidem.
Subacta gens extranea vltro obtemperat,
Animum inimicum quæ ſibi
Prius gerebat, & qui adhuc fortiſsimas
Vrbes tuentur, opes timent
Septi meas munitionibus ſuis.
Salue pater ſanctiſsime,
Salue, ipſe propugnator, & vindex meus,
Magnas tibi grates ago.
Omnes verendum numen excolant tuum,
Omnes celebrent laudibus.
Iniurias qui perſecutus es meas,
Et ſubdis aduerſarios,
Ab hoſte qui me vindicaſti barbaro,
Qui mortis hanc à faucibus

Vt-

Vitam mihi eruiſti, & infeſtiſſimos
Exercitus mihi vltus es.
Quapropter immortalem habebo gratiam
Tibi, quoad viuam, pater:
Numen celebrabo tuum, qui me euehis
Ad aſtra, tot victorias
Qui tradidiſti Dauidi ſeruo tuo,
Meæ ſaluti conſulens:
Qui poſteris bonus meis ſic prouides,
Ipſorum vti futura ſit
Et gloria immortalis & decus, tua
Pro lenitate maxima.

ARGVM. PSAL. XIX.

Scientiam Dei celebrat laudibus,
Veriq́ue contemplatio cœleſtium,
Et quam parit ſtudium ſacri voluminis.

PSAL. XIX. SPINVLAE.

SPecies polorum ornata ſtellis vndiq́ue,
Et mirus ordo ſiderum,
Conuerſiones, atque eorum multiplex
Curſus Dei laudes canunt,
Et nationes eſſe gratas numini
Omnes videntur cogere,
Et maximum effectorem, hoc eſt, ſummum patrem,
Rerum omnium cognoſcere.
Viciſſitudoq́ue & dierum, & noctium,
Alterna eorum accretio,
Et diminutio, ordo, & hæc conſtantia
Iugis loquuntur omnibus

Mortalibus non iſta fortuna regi,
Caſúue, ſed præeſſe eis
Mentem ſupremam, quæ vniuerſa temperet:
Teſtantur hæc & prædicant
Ea loquela, quam vniuerſi intelligant,
Quam nulla terra neſciat.
Qui ſermo certè auditur illorum omnibus
Telluris almæ finibus.
In his Deus *polis domum Soli aureo*
Conſtruxit auguſtiſſimam:
Qui præſtat aſtris, qui eſt ephæbo pulchrior,
Sponſóq; formoſiſſimo:
Qui vi gigantis, impetuq; acerrimo
Percurrit oras ætheris,
Tanta volat pernicitate ab vltimo
Indo Britanni ad littora,
Ac inde regionem ad polorum dexteram
Curſu cito reuoluitur,
Vt luſtret vniuerſam humum breuiſſimo
Spacio diei ſolius.
Quarum quidem rerum iſta contemplatio
Tantarum, & aſpectus ſatis
Erat profectò gentibus ſanctiſſimi
Ad notionem numinis:
Ea attamen fuit benignitas Dei,
Vt iſua ſcriptam manu
Intelligentiæ huic pius legem adderet,
Legem integram, legem vtilem,
Fide optima latam, nihil qua iuſtius,

Nil

Nil æquius, nil verius.
Quæ ſocia palantes viros ſedem ipſius
Ad veritatis duceret,
Mortalium quæ cæca prorſus pectora
Illuminaret omnium,
Patris timorem quæ crearet ijs viris,
Qui numinis ſunt filij:
Qui ſeruat integrum timor quemq; optimum,
Purumq; ab omni crimine,
Illiq; migranti his ab artubus comes
Id ſempiternus ad polos.
Non ergo ſunt vlla imperia, non Attali
Sunt conferendæ copiæ,
Non cœlitum nectar patris cum maxima
Legis voluptate ipſius.
Cuius quidem præcepta iam dulcedine
Captus, ego maxima, piè
Attendo, & omnem pono diligentiam
In his colendis iugiter:
Quando vltimum qui ad ſpiritum obſeruauerit
Legem hanc DEI *ſanctiſſimam,*
Is præmia aſſequitur immortalia.
Sed ecquis humanam videns
Infirmitatem, dicere audeat DEI
Se iuſſa non reſcindere
Verendi in vlla re? Pater ſumme obſecro,
Benignitate pro tua
Omnes mihi ſordes latentes elue
Manu tua ex animo meo,

Ne quid ſit impurum intus, iſta quod tua
Offendat alma lumina.
Sed illud in primis rogo, vt cœleſtium
Rex ſumme condones mihi,
Quod anteà commiſi iniquus, impius
In te patrem de induſtria:
Ne ſeruiam ſuperbiæ, & libidini,
Sed te innocens, & integer,
Puruſq́ue noxijs ab omnibus canam.
Ad hæc precor, numen meum,
Huic qui meæ imbecillitati ſubuenis,
Qui a ſeruitute criminum
Me vindicas, conſideratio poli,
Tuæq́ue legis, iſteq́ue
Can us tibi probetur: in te & ne meam
Affectionem deſpice.

ARGVM. PSAL. XX.

Ad bellum eunti difficulter optimè.
Precatur ipſi Dauidi omnis gens ſua.

PSAL. XX. SPINVLAE.

E*Xaudiat te, dux pie,*
Rex cœlitum, in q; anguſtijs
Deus Iacobi dextera
Sua teget caput tuum.
Qui fanum habet ſanctiſſimum
Hoc, & Sionis hæc iuga
Tuebitur vitam tuam
Belli horridi in certamine:
Tuiq́ue ſacri erit memor,

Et fertum, & hoſtias tuas
Laudabit, vt gratiſſimas:
Et quod petes, dabit tibi.
Et omne conſilium tuum
Reget: quod ipſe optaueris
Faciet. Redibis cum huc ouans,
Plauſu ſonabunt omnia:
Deoq́ue gratulabimur,
Qui inter preces ſigna hæc dedit,
Intelligamus vt tibi
Deum ſaluti almum fore.
Nam te polo è ſanctiſſimo
Audiet, opem & feret tibi.
Fidunt equis hi, curribus
Illi aſſequi victoriam,
Sed nos Dei noſtri pia
Freti manu certamina
Inimus: hi ſtatim ruunt,
Illi occidunt, nos vincimus:
Cur vincimus? quòd cœlitum
Rector iuuat noſtrum ducem
Quòd cœlitum rector pias
Noſtræ preci aures applicat.

ARGVM. PSAL. XXI.

Victoriam Chriſti celebrat laudibus
Et ſempiternum eius thronum.

PSAL. XXI. SPINVLAE.

REgi tremendo gaudium ingens tu pater,
Eius fugatis hoſtibus

Ac interemptis aſſeres: cui non modò
Regi dabis victoriam,
Perennitatem ſed cupitam illi, & bona
Donabis immortalia:
Qui te nihil petiuit vnquam, protinus
Quin impetraret; ipſius
Quin ſemper expectationem vinceres.
Donis eum cœleſtibus
Eſt proſecuta liberalitas tua,
Benignitasq́; maxima:
Victo triumphantem hoſte regem regum eum,
Ducum & creauiſti ducem.
Quid expetebat ad decus, vel gloriam,
Clementia quod à tua
Non conſecutus ſit? perennem ætatem habet
Tuo fauente numine,
Autoritatem adeptus eſt ſummam, & decus:
Nec omnibus ſolùm bonis
Tu liberalis ingibus donaſti eum,
Regnoq́ue ſed etiam capit
Summam voluptatem ex tuo aſpectu pater,
Vultuq́ue iucundiſsimo:
Qui fauſtitate ſempiterna antiquior
Eſt principum iſti principi,
Et commodis eſt gratior cunctis, ci
Quæ tradidiſti, & gloria.
Qui cum tui ſpes vniuerſas fixerit
In numinis clementia,
Sic eius imperium, atque ſtatus, ac opes

Firmantur, vt nulla hoſtium
Virtute conſtringi queant, aut viribus.
Quem qui inſecuti ſunt, tuam
Non dexteram euadent, ſceleſti & impij.
Omnes ad vnum iſta manu
Captos tua, mactabis æternis ſtatim
Ignis feri cruciatibus:
Tuum furorem ſentient: anguſtiæ
Hos atque meuitabiles
Manent vices: flagrare ingi incendio
Paras eorum corpora.
Vt aridam ſtipulam vorax flamma exedit,
Teterrimos hoſtes tua
Abſumet ira: non furens iſtos modò
Delebis, at etiam genus
Nefarium euertes ſimul cum nomine.
Auſam ne gentis fecem ea
In dignitatem inferre bella iſtam acria?
Ac conſilia furorcq;,
Necnon & impietate plena conſequi
Prolem in tuam, ratione quæ
Vlla explicare non valent humunculi?
Quapropter iſtos, vt tuum
Scopon, ſagittis vulnerabis eminus
In ſempiterna ſecula.
Summam ergo vim, ſummam poteſtatem tuam
In rege ſancto ad æthera
Alta euehendo, & eruendis ſontibus
Suprema declara pater,

Ipſi

Ipſi interim læti tuum cantabimus
Et nomen, & potentiam.

ARGVM. PSAL. XXII.

Hoc dux Hebræus carmine ornatiſsimo
Natum Dei inducit loquentem pergrauem
Pœnam, atque cruciatus, ita vt iam facta, non
Futura prædicare videatur, ſimul
Et gentium omnium ſalutem prçcinit.

PSAL. XXII. SPINVLAE.

ME quid reliquiſti Deus, numen meum?
Me quid reliquiſti pater?
Quare mihi effuſæ preces clamoribus
Nihil ſalutis impetrant?
Quare tuam implorans opem luctu, & fidem,
Nil proficio mihi Deus?
Nil proficio, nomen tuum inclamans dies.
Noctesque rex cœleſtium:
Quòd tu meæ precationis ſupplicis
Aurem tuam non applicas.
Non ciuitatis huius es cuſtos pater?
Non montis huius numen es?
Non iſta gens adiuta ſæpe, ac ſæpius
Cœlo extulit te laudibus?
Benignitate ergo tua vtere, & tui
Audi querelas ſupplicis.
Noſtri vſque maiores tuæ clementiæ
Supreme fidebant pater,
Nec vnquam opinione falſi ſunt: de eis
Confugit ad te lacrimans,
Supplexq́; nemo, quin opem ferres ei,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Ac vindicares à malis.
At me pater ſic deſeris, ſic hoſtibus
Crudelitati dedis, vt
Iam non homo, cimex ſed eſſe iudicer,
Vermiſq; contemptiſſimus.
Quiſquis videt me, illudit, atque in vulnera
Inſultat, angorem in meum.
Iſte, inquiunt omnes, ſibi locauerat
Spes in Deo: ergo liberet
A morte eum Deus, quem habet cariſſimum.
Per te meum numen piæ
Eductus ex aluo parentis aurei
Hoc Solis aſpexi iubar.
Pendebam adhuc infans ab vbere ipſius
Matris meæ, in te cùm meam
Curam, atque ſpem fixi & locaui protinus.
Tuo in ſinu dulciſſime
Pater quieui: vt primùm in hanc lucem editus,
Suſceptus & quondam fui,
Te ſemper ex illo Deum agnoui meum,
Et prædicaui id omnibus.
A me ergo ne diſceſſeris: iam iamq; enim
Acerba mors mihi imminet.
Iamque vniuerſi in me dolores perditum, &
Eduntur exempla omnia.
Crudeliter. Circunſpicio cuncta, omnia
Colluſtro ocellis languidis,
Mihi nec vſquam cerno, opem qui vllam ferat,
Vel quem dolor tangat meus.

Immanis ecce me obſidet turba, haud macri
Tauri inſtar agreſtis truces,
Et efferati in me tuum hoſtes irruunt.
Prædaq́, correpta leo
Qualis rugit, tales apertis faucibus
Vitam meam ſæui appetunt.
Iam ſanguinis riui effluunt de corpore,
Confoſſa crebro vulnere
Mihi vniuerſa membra ſunt: oſſa & mea
Laxata ſunt, & ſedibus
Quæq́, à ſuis auulſa: cor etiam meum,
Vt cera tabeſcit fluens
Ardore Solis, & metu, & pœna graui
Liqueſcit, atque deficit.
Quin arui, ceu teſta, membrorumq́, vis
Defecta ſanguine occidit.
Et lingua adhæreſcit ſiti ad fauces: mea
Me vita luxq́ue deficit.
Me, vti canes ceruam, impij circumſident:
Manus, pedeſq́, iſti meos
Fodère crudeliſsimi: artus diſtrahunt
A ſedibus mihi ſuis,
Vt oſſa circunſtans manus mea numeret.
Non vllus eſſe debuit
Tam ferreus, quin lacrimaretur meis
Cruciatibus: prabent feris
Acerba at his tormenta iucundiſsimum
Spectaculum, inſatiabile.
Veſteſq́ue partiti meas, tunicam ſtatim

Sor-

Sortiti & inter ſe meam.
Ergo Deus virtus mea, & ſpes, cum opprimar
Tantis malorum fluctibus,
Ad ſupplicem clementiæ tuæ ocyus
Accurre, de manu impia
Sicariorum iam meam vitam eripe:
Iam derelictam ab omnibus
Animam meam è ſæuis canum iſtis faucibus
Feſtinus obſecro erue,
Pœni leonis me è cruento ore extrahe,
Meam ſalutem ab impetu
Defende tandem immanium mortalium.
Æternitatem da mihi,
Vitam ad perennem, quando perij, me euoca.
Preci meæ ſi aurem applicas,
Te ſemper, ac nomen tuum dulciſſimum
Inter cohæredes meos,
Hoc eſt, pios omnes, celebrabo ſine
Fine, eſſeramq́; laudibus.
Sed vos ego appello, deis inanibus
Qui deſtitutis numini
Seruitis æterno, optimo, atque maximo:
Et vos item appello editos
Pio ab Iacobo, qui æquitatem ante omnia,
Virtutem & æmulamini:
Agite vniuerſi efferte laudibus Deum,
Atque illi habete gratiam,
Caſtiſſima mente eſt colendus ſemper &
Canendus à mortalibus:

Orationem qui audijt pius meam,
Vitam & perennauit mihi.
In vos quoque æternam ſalutem contulit,
Vitam carentemq́ue exitu.
Solus Deûm ſupreme materiam pater
Hymnis meis tu ſufficis.
Quapropter in ſanctiſsimo conuentu ego
Semper piorum te canam.
Quæ gens deos fictos colebat, in mera
Mendicitate iugiter,
Vitam trahens, vt religionis, omnium &
Virtutum egens, hæc omnibus
Iam copioſa rebus æternis, bonis
Cœleſtibus circunfluet:
Tandemq́ue læta pane eo ſatiabitur,
Deſcendit huc qui de polo.
Qui panis æternare edentes aſſolet.
Nam totus orbis numinis
Potentiæ oblitus, creatas pro Deo
Res verò adorabat ſibi.
Nunc excitabuntur pij ad cultum patris
Totius orbis principes,
Et nationes ſe vniuerſæ conferent
Dei Deorum almi ad ſacra,
Qui ſolus vniuerſa terrarum ſola
Regit, gubernat, temperat:
Quapropter omnes pabulum duces edent
Cœleſte: cuncti denique
Mortalium cætus, eorum & liberi,

Et filiorum filij
Genus caducum ſupplices Deum petent,
Colentq́; vindicem ſuum,
Dignatus eſt qui mortem acerbam occumbere,
Donaret vt vitam Deûm
Illis perennem, & ſempiterna gaudia.
Quare vniuerſi poſteri
In ſeruitutem dedicabunt ſe patri:
Eterna cuius mentio
In orbe fiet: nam Deo ſummo auſpice,
Naſcentur integri viri
Nepotibus qui prædicent rectum ipſius
Clementiamq́; numinis.

ARGVM. PSAL. XXIII.

Se gloriatur, ac Deo ſua omnia
Curę eſſe, demonſtrans ſimul, quàm ſint pij
Omnes beati, numini qui ſe dicant.

PSAL. XXIII. FLAMINII.

R*Ex cœlitum eſt paſtor meus,*
Nihil boni deerit mihi.
Vberrimis in paſcuis
Amœna propter flumina
Me ſpiritus ſanctiſſimi
Aura beata recreat,
Dulciq́; mentem pabulo
Nutrit ſuæ ſcientiæ.
Miſerrimus animus meus
Dum longius abit à Deo,
Errauerat procul à via,

Quæ ducit ad cœleſtium
Oras beatas:at Deus
Meæ miſertus miſeriæ,
Benignitate maxima
Quæſiuit illum vltro, & ſui
Reduxit ad caulam gregis.
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam, vbi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero,
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga paſtor optime
Coërcet errantem tua:
Ne grauius offendar cadens,
Tuo bacillo fulcior.
Me menſa roborat tua,
Me dulcis exhilarat calix
Tuus, oleo foueor tuo.
Nec me pater dulciſſime
Per has inexplicabiles
Vias euntem deſeres
Vnquam:ſed ad tuam domum,
Duces, vbi vita fruar,
Et ſempiterno gaudio.

ARGVM. PSAL. XXIIII.

Dulciſsimo hoc poëtæ Hebræi carmine
Canit ſonora barbitos, cui cœlitum
A patre cœli detur immortalitas
Beata: dux mortalium quo(ſicuti
Enarrat hic) ingreſſus eſt primus pater,

PSAL. XXIIII. SPINVLAE.

COnſtat Deum imperare terris omnibus,
Quas eminentes ex aquis
Cum cæteris, quæ continentur in ſolo,
Fecit, prius quæ non erant.
Potens ubi creare mortales eò
Dignatus eſt, vti piè
Hîc æuum agentes ad patris ſummi domos,
Sedeſq́ migrarent poli.
Quis ergo conſequetur hæc? quis in gradu
Altiſsimo hoc locabitur?
Aulas quis æternas, ſacramq́ue regiam
Summi Dei intuebitur?
Is, cuius haud ſunt facta, cogitatáue
Vllo inquinata crimine:
Nec peierat, nec res eas contemnere
Lætatur, iſte gratia
Quarum eſt animus almo à Deo nobis datus.
Is nempe, qui inſtituit ita
Vitam ſuam, à Deûm parente præmijs
Perennibus donabitur:
Felicitatemq́ aſſequetur, & bona
Cœleſtium immortalia:
Quoniam Dei ſtudioſus eſt, lectiſsimum
Illius Iacobi genus,
Magni Deus quem fecit: & quoniam cupit
Os intueri numinis:
Is ſolus admittetur ad locum patris.
Quò regis æterni vnica

Proles triumphans cum beatis mentibus
Comitatus hinc aſcenderet,
Pars cœlitum, quæ occurrerat magno duci,
Præceßit, & cum ianuis
Olympi, & illarum pijs cuſtodibus
Hunc collocuta eſt ad modum.
Veſtrum ô caput fores Olympi tollite,
O ſempiternæ, inquam, fores
Vos tollite altius ſtatim: huc rector volans
Vt intret illuſtrißimus.
Quis iſte quæſo eſt rector illuſtrißimus?
Quid? fortis & dux præpotens,
Bellator eximius, triumphans eſt Deus
E ſempiternis hoſtibus.
Veſtrum ô caput fores Olympi tollite,
O ſempiternæ, inquam, fores
Vos tollite altius ſtatim, huc rector volans
Vt intret illuſtrißimus.
Quis iſte quæſo eſt rector illuſtrißimus?
Summus Deus, numen poli,
Et copiarum, exercituſq́, cœlitum
Eſt rector illuſtrißimus.

ARGVM. PSAL. XXV.

Viri periclitantis eſt precatio,
Qua crimina, & peccata condonarier
Petit ſibi canens Dei clementiam.

PSAL. XXV. SPINVLAE.

AD te meam mentem efferο Deum ſator,
Clementia fretus tua,

Non

Non viribus meis:precorq́, ne mea
Decollet hæc me ſpecula,
Benignitate fixa quæ eſt mihi in tua.
Ne rideant me hoſtes,manu
His deſtitutum in rebus aſperis tua.
Sed eſt mihi, quod gaudeam,
Eſt quando perſuaſiſsimum cuiq́ optimo
Fuiſſe ſemper hanc tuam
Clementiam, vt non ſuſtineres impijs
Vnquam eſſe eos oſtentui,
Qui collocaſſent ſpes ſuas in te pater,
At vindicares improbos:
Seruire qui mallent cupidini ſuæ
Nequam, tuo quam numini.
Verùm quòd olim à ſanctitate plurimi
Cultuq́, aberrarunt tuo,
Et nunc aberrant, hos in errores ne ego
Iuxta incidam numen meum,
Per has tenebras me oro euntem ducito,
Cuſtos ſalutis ò meæ:
Tantumq́, amorem in me excita tui obſecro,
Vt iudicem nil rectius,
Nil facilius mihi nihil iucundius,
Vitæ viam quàm perſequi.
Vnum dies, noctesq́, te rex cœlitum
Expecto doctorem mihi,
Ducemq́, vindicemq́, ſpes in quo mea
Eſt omnis, & vita, & ſalus.
Non ſum tamen pater ſupreme neſcius,

Quàm mortis inſiſtens viam
Me liberalitate reddidi tua
Sceleſtus indigniſſimum.
Sed pro tua benignitate maxima,
Qua continenter vſus es
In nos ab vltima orbis huius origine,
(Ex quo quidem effectum eſt, pij
Vt lenitatis te patrem vocauerint)
Iam noxiarum, & criminum,
Quibus iuuentam exercui, ne ſis memor:
Hæc pro tua clementia
Obliuione ſempiterna deleas.
Vt lenitas poſcit tua,
Me fulcias, armeſq; in hoſtem barbarum.
Appello ſed vos ô boni,
Audite, quid ego ſentiam de numine:
Eſt æquus, & bonus Deus:
Vlciſcitur qui vitam agunt hîc turpiter,
Et præmia erogat bonis.
Quos pœnitet ſontes piaculi, docet
Quà peruenitur ad Deos.
Quos manſuetos, ſeq; ſubmiſſe videt
Omni gerentes tempore,
Periculoſo curſu in hoc vitæ comes,
Et dux eis eſt iugiter.
Quicquid docet ſummus parens, ac præcipit,
Vero, & fide eſt pleniſſimum:
Quibus? ſacras leges Dei obſeruantibus,
Et ſanctionem fœderis:
Quam per nefas quòd ipſe nonnunquam impius

Ru-

Rupi. ſator cœleſtium,
Ignoſce delicto meo, ignoſce obſecro,
Clemens ſi es, & pater pius,
Cunctis vt appellare: nam maiora ſunt
Commiſſa, crimina & mea,
Quàm vt ſponte turpitudinem illorum mea
Eluere poßim, vt tu vides.
Sed ecquis vſquam eſt, qui Deo ſe dedicet?
Rarus quidem, ſed fauſtus eſt.
Nam quiſquis eſt huiuſmodi, ſummum DEUM
Magiſtrum habebit, & ducem:
Qui monſtret huic, quàm deligat ſibi viam,
Vt fugiat hoſtis machinas,
Vt ipſe & eius poſteri omni tempore
Securitatem, & gaudium,
Pacemq́, conſequantur, ac vitam DEûm,
Et præmia immortalia.
Bono, religioſoq́, detegit ſua
Rex cœlitum myſteria,
Et ſanctionem fœderis, legem & ſacram,
Quæ nota non ſunt impijs.
Hinc ipſe vero conquieſcens in DEO
Animi mei non deicio
Acies ab illo, cui dico me, habens fidem
Promißionibus ſuis.
Nam ſi interim hoſtis rete tendat, è plagis
Ille extrahit pedes meos.
Quare pater, qui deſtitutum me omni ope
Humana, & auxilio vides,

Iam

Iam reſpice oro ſolitudinem meam,
Acerbitatem & maximam.
Dedi ſatis ſuperq́, pœnarum, ſatis
Laborum & ærumnarum ego
Exhauſi, ab his anguſtijs me vindica.
Remitte iam iracundiæ
Deus tuæ violentiam, & pro tot malis
Ignoſce peccato meo:
Spectaque multitudinem hoſtium obſecro,
Odere qui me vltra modum.
Vitam meam tuere, meq́, vindica
Horum à minis crudelium,
Ne dede me aduerſarijs, in te meam
Quando locaui ſpeculam.
Mihi impetret quam expecto opem, & meipſum mea
Defendat innocentia.
Anguſtia Iſraëlis erue liberos,
Incommodiſq́, ab omnibus.

ARGVM. PSAL. XXVI.

Cùm fortè ab hoſtibus vocaretur ſuis
In ius, eiq́ falſa iniquè crimina
Confingerent, exponit ipſi numini
Cauſam ſuam, vitæq́ rationem ſuæ.

PSAL. XXVI. SPINVLAE.

QVandoquidem permagno onuſtus crimine,
Indignus vt luce impia
Ab hoſte morti deſtinor, rerum Deus
Appello te ſumme omnium:
Cauſæ eſto diſceptator, & iudex meæ
Tu, qui æquitate es æquior.

Pro

Pro certo enim hoc affirmo me vnquam neminem
Violaſſe, ab omni crimine
Abhorruiſſe ſemper: in te vno mea
Fiducia immota eſt mihi,
Non in manu hac, non in ſcelere teterrimo.
Fac obſecro meæ pater
Sanctiſſime, innocentiæ periculum:
Tenta, proba, explora: vt libet,
Affectiones intimas, mentem & meam.
Hoc certè ego minus deprecor,
Hoc non recuſo, cui benignitas tua
Verſatur ante lumina.
Cauiq; diligentia vſq; maxima,
Vt ne imbibendis impijs
Opinionibus, vel alia noxia
Senſus tuos offenderem.
Nequam virum in primis fugio, fallacium
Vſum, atq; conſuetudinem:
Nocentium temno neceſſitudines,
Et impiorum gratiam.
In curam eamq; incumbo toto pectore,
Vt integer animus meus
Puruſq; ab omni labe ſit tibi pater.
Atque iſta me præſtantem in hac
Sede horrida videre ſolitudines.
At cùm me ab exilio domum
Reduxeris, lætè canentium choris
Aras tuas circundabo.
Et carmina, atq; hymnos tibi canam, tua

Nar-

Narrabo tot miracula.
Qui morte peius colloquia nocentium
Odi, tuum fanum Deus,
Hos pluſquàm ocellos, diligo ſanctiſſimum.
Quò tandem vti per te mihi
Adire contingat rogo: ne cum improbis,
Virûm cruentis ſanguine,
Queis cum coactus hic ago inuitiſſimus,
Damnato me ſeruum tuum.
Hi ſemper in promptu, vt vides, habent ſcelus;
Quod in viros edant bonos,
Pecuniam accipiunt auari à diuite
Ad opprimendum pauperem.
Contrà ipſe numen ô meum deſeruio
Pietati, & innocentiæ.
Miſertus ergo me exulem quæſo aſſere
A barbarorum cœtibus.
Nam qui viam æquitatis, ac recti ſequor,
Si patrios tandem ad lares
Reduxeris me pro tua clementia,
Mortalium in conuentibus
Grates habebo, agamq́; maximas tibi,
Tuumq́; numen concinam.

ARGVM. PSAL XXVII.

Exponit hanc ſeſe in Deo fiduciam
Habere, nullis vt metuat ab hoſtibus.

PSAL. XXVII. SPINVLAE.

LVx eſt mihi, & ſalus pater cœleſtium,
Quis ergo mi inijciat metum?

Eſt columen, & robur mihi rector Deûm,
Quis ergo me perterreat?
Non ab re enim præ me fero hanc fiduciam,
Nam doctus experientia
Senſi Deo quàm cara ſit ſalus mea:
Capiti imminebant efferi
Hoſtes meo: ventum hunc erat certè in locum,
Vt ex eorum ſpiculis,
Et ex manu viderer elabi minus
Valere, cùm ſtatim Deus
Deleuit hos potens ad vnum funditus.
Quò te videns pro me pater
Supreme propugnantem inermi iugiter,
Non vllus vllo tempore
Belli tumultus, præliorumúe inſolens
Me territabit impetus,
Non ſi ruant exercitus in me decem,
Non ſi trecentis militum
Me vallet hoſtis millibus, & vndiq;
Mortem minentur omnia.
Tum maximè tranquilla ero mente, effera
Cùm maximè gens me petet.
Tantis ego affectus beneficijs, meum
Tam numen expertus pium,
Hoc quæro, votiſq; omnibus ſolum expeto,
Vt pace parta det pater
Sacro mihi in templo ſuo quieſcere:
Dei vt canendis laudibus,
Et ipſius conſiderandis optimè

Re-

Rebus meæ vitæ exigam
Breuiſsimum omne tempus: hoc ipſum exuli
Tantum eſt in optatis mihi.
Is rebus aduerſis mihi robur, ſalus,
Tutumq́; perfugium fuit.
Me non ſecus defendit, ac ſi in intimam
Suam abdidiſſet me domum,
Vel ſuſtuliſſet in aliquam rupem vndiq;
Munitam, & excelſam manu.
Per hunc ſcio me conſecuturum breui,
Victo meo aduerſario,
Qui me obſidet, regnum illud auguſtiſsimum,
Quod nunc tyrannus occupat.
Tum numinis templo in ſacro tandem meum
Supplex adorabo Deum:
Tum pro data victoria lætiſsimè
Patri immolabo victimas:
Clangor tubarum accedet his, & cantica
Accepta vindici meo.
Quod vt mihi contingat, audi, te pater
Quoties voco, precem meam:
Et ſupplicis vocem tui ne deſpice.
Nam numen ex animo tuum
Prece inuoco: pieq́; colui te anteà,
Olimq́; iugiter colam.
Ad te pater conuerto me, non deſino
Vultus tuos inquirere:
Hos ne rogo auertas Deus, ne ſubtrahe
Os candidum mihi tuum,

Ne me relinquas in tenebris obſecro,
Ne lumen auferas tuum.
Et ne tuum ſeruum opprimi hoſtibus ſinas,
O robur, & ſalus mea.
Sed cùm me amici non modò, at etiam patris
Solatio orbatus forem,
Matriſq́, ſolitudinem meam Deus,
Acerbitatem & maximam
Miſeratus, in fidem recepit me ſuam.
Monſtra ergo cœlitum parens,
Recti mihi, æquitatis & tuæ viam,
Animum nec vlla vi meum,
Nec hoſtis impij ſinas formidine
Ab æquo aberrare, & bono,
Ac ne malignorum meam libidini
Precor ſalutem dedito.
Nam teſtis ortus eſt mihi, qui crimine,
Fictiſq́, ad hoc mendacijs
Ingentem in inuidiam me, & in periculum,
Vitæq́, diſcrimen vocat.
Sed corruiſſem, me niſi effulſiſſet hæc
Diuina cogitatio,
Certiſsima eſt quòd ſpes mihi, miſerrimæ
Poſt exitum vitæ iſtius
Ad alta migraturum Olympi ſidera:
Quò non dolor, nec mors, neq́,
Aſpirat vlla vis, perennis cœlites
Vbi triumphant gaudio.
Quid ergo mens tandem vereris ò mea?

Quid triſtis es? quid lacrimas?
Confide lenitate numinis pij,
Confide miſericordia,
Animiq́ fortitudinem tui excita,
Ac te viriliter gere:
Corroborabit te ſator cœleſtium,
Omnes in illo ſpes loca.

ARGVM. PSAL XXVIII.

Precatio eſt, qua in maximo periculo
Vſus fuit Vates pius.

PSAL. XXVIII. SPINVLAE.

AD te Deus confugio numen ô meum,
Te imploro voce ſupplici,
Precationem oro meam ne deſpice,
Ne deſere in tot me malis.
Nam ſi mihi non ſubuenis, par mortuo
Fiam ſepulchris condito.
Orantis exaudi pater vocem meam,
Qua te fatigo, ad ſidera
Paſſas manus tollens, ſacram ad domum tuam,
Summas ad oras ætheris.
Ne cum malignis me, atq́ iniquis pallidi
Orci tenebris deſtina:
Quando vtor his coactus, inuitiſſimus,
Quorum nefas odi, & ſcelus.
Nam continenter clauſum aliud in pectore,
Ac promptum aliud in lingua habent.
Præ ſe ferunt ſpeciem neceſſitudinis
Hi, dum mihi inſidias ſtruunt.

Quare eroga factis ſuis, & moribus
Quæ digna ſunt his omnibus:
Vt actio iſtorum meretur, munera:
Exolue, opus quod poſtulat.
Quòd noluerunt impij vnquam aduertere
Hæc, quæ geruntur maxima
In orbe ſummi à prouidentia Dei,
Regemq́ conſilio ipſius
Me conſtitutum, & qui mihi reſiſtere
Pergit, repugnare hunc patri,
Deus potens cum ſtirpe, cumque nomine
Delebit illos funditus.
Pater beate maximas ago tibi
Grates, tuum qui ſupplicem
Tam dexter audis, & malorum fluctibus
Tantis benignus eripis.
Tu robur es mihi, & ſalus: fidei tuæ
Committo me, cui fers opem.
Adiutus à te exulto iugi gaudio,
Et te celebro canticis.
Virtus bonorum ipſe es, ducis robur tui,
Pro cuius omni tempore
Salute propugnas, thronoq́ regio.
Serua bonos, tuum foue
Hæreditarium gregem, pios regas,
Magiſq́ ſemper euehas.

ARGVM. PSAL. XXIX.

Potentiam patris celebrat, edocens
Caſu minus vim hic imbrium, atq; fulminum

 Auſtris

Hebræi, & omnis natio.
Qui regnat, in nimbis manens, & in polo.
Qui præſtat omnibus deis.
Ingentis orbis eius eſt regnum, ſine
Fine imperabit gentibus.
Qui fert opem omnibus pijs, & viribus
Implet, manu :q; in prælio
Conſeruat integram bonis, atq; hos beat
Pace, & perenni gaudio.

ARGVM. PSAL. XXX.

Morbo à grauiſsimo ſolutus, numini
Grates agit poëta clementiſsimo.

PSAL. XXX. FLAMINII.

TE ſemper efferam pater ſanctiſsime
Cantu meorum carminum,
Qui me tenebris inferorum, & horrida
Lethi extuliſti ianua.
Tua benignitate perfectum eſt, meis
Ne riſus hoſtibus forem.
Domine pia prece inuocatus tabido
Morbum expuliſti corpore.
Iam iam ſub imas ire terras cœperat
Mœrens anima, iam nexibus
Soluta cari corporis dulciſsimas
Linquebat oras ætheris,
Cùm reſtituta viuere, & iuſſa eſt frui
Lucis cupito munere.
Adeſte caſtæ virgines, homines pij
Adeſte, mecum laudibus

Deum benignum tollite, agite gratias
Quantas poteſtis maximas
Incomparabili illius clementiæ.
Vt Vere nimbus vuido
Vix ortus euaneſcit, Aquilonis feri
Si ſpiritus ſuperuenit,
Sic ira ſancti numinis breuiſsima eſt:
At illius benignitas
Semper ſalutem, ſemper hominibus pijs
Sincera præbet gaudia.
Quòd ſi quid vnquam incommodi interuenerit,
Deo fauente celeriter:
Multiplicatis commodis rependitur.
Verùm ipſe victis hoſtibus
Et conſtituta pace, cùm mihi omnia
Feliciter ſuccederent,
Demens ad hunc modum loquebar, Nulla vis,
Me nulla iam potentia
Deijcere poterit hoc ſtatu rerum optimo:
Tu ſcilicet regnum meum,
Meaſq; fortunas ita ſtabiliueras,
Vt montis inſtar omnibus
Habere viſa ſint: at hoc nulla mihi
Virtute contigerat mea,
Sed liberalitate maxima tua:
Quod ne mihi ignotum foret,
Illamq; ſtultam opinionem vt ponerem,
Paulisper auerſus mihi
Memet reliquiſti domine, ſuntq; illico

Mutata, verſaq́ omnia.
Tum lacrimans, voceſq́ lamentabiles
Fundens, Quid, inquam, maxime
Rex cælitum, quid vita proficiet mea
Reſtincta morte tam cita?
Ecquid ſepulchro lingua condita poterit
Cantare nominis tui
Laudes? tibiue docta dextra pſallere?
Ne quæſo, ſupplicis tui
Nouiſſimo in caſu precem contemptam habe.
Sed peſtilentem corpore
Depelle morbum de meo. Sic lacrimans
Orabam, at ipſe triſtibus
Aurem querelis admouens, pro lugubri
Mœrore læta gaudia,
Pro fœditate veſtium ſquallentium
Veſtem dediſti candidam.
Itaq́ tibi ingenium meum, & ſtudia mea,
Meamq́ vocem conſecro:
Semper tibi laudes cithara dicet mea,
Semper tuam clementiam
Cantabo, ſemper gratias tibi maximas
Agam pater ſanctiſſime.

ARGVM. PSAL. XXXI.

Sua precatur pro ſalute cœlitum
Patrem, ipſiusq́ lenitatem prædicat.

PSAL. XXXI. SPINVLAE.

NE quæſo fallat me Deus, quæ in te mea
Spes eſt, feras opem mihi

Benignitate pro tua, & clementia.
Ab hoſte ne victus meo
Per dedecus moriar, pias aures mihi
Præbe obſecro, & me vindica.
Vt ſaxum inacceſſum, quaſi editus locus,
Tutumq́; propugnaculum,
Vt turris, vtq; arx es mihi firmiſsima:
Ab hoſte vbi tutus fero
Eius minas derideam, atq; vana vbi
Temnam ipſius molimina.
Tu ſi benignus, vt vocare, & es pius,
Eſto mihi dux, & comes:
Vt extrahas pedes meos ab ijs plagis,
Quas callidè in via mihi
Tetendit hoſtis ſempiternus clanculum.
Tu robur, & nerui mei:
Commendo me: meumq́; ſpiritum tuæ
Fidei, ſaluti qui pius
Et ſemper auxilio fuiſti aliàs mihi.
Ab improbis mortalibus,
Et efferis me vindica aduerſarijs.
Quando tuis quæ legibus
Mihi iubes, obſeruo cuncta diligens:
Nam valde amo genus tuum:
Odi malos, qui iuſſa reſcindunt tua,
Et vanitatem diligunt:
Et in ſuperſtitione ſpes locant ſuas,
Ac rebus in fallacibus.
Verùm tibi ſoli mea ſpes nititur.

Proinde ô ſupreme rex Deûm.
Acerbitatem ſi meam reſpexeris,
Animi meiq́ anguſtias,
Nec me premi hoſtili feres tyrannide
Soluens pedem laqueō meum,
Tanta benignitate lætus iugiter
Quàm geſtiam præ gaudio.
Miſertus ergo iam mei rector Deûm,
Seruum tuum me reſpice:
Me reſpice, à tanta premor qui anguſtia,
Vt ſint ocelli tabidi
Mœrore præ iugi mihi, atque infirma mens
Tabeſcat, & venter meus,
Vt præ dolore & fletibus grauiſſimis
Mi contrahantur annui
Orbes, magè vt vita ipſa fiat in dies
Breuior, mihi vt vires quoq́,
Et ægra membra conſeneſcant omnia.
Et hoſtibus ſum oſtentui, &
Vicinitati; quæ eſſe debuit meæ
Teſtis mihi innocentiæ.
A me, quibuſcum erat mihi coniunctio,
Vſuſq́, abhorrent: ſi vident
Me tranſeuntes, euolant hi protinus
Conterriti, vt qui viderint
Formidoloſa monſtra, ne periculum
Vllum creetur per meam
Illis amicitiam. perinde effluxi ego
E pectore familiarium,

Atque hi, memoria quibus ſimul eum perbreui
Extincta vita olim fuit.
Viliſsimam tempſere me ceu teſtulam, &
Inutilem cuncti, ac malè
Mihi loquuntur: voculas ipſe audio
Cinctus coronis hoſtium,
Qui in me ruunt, vitamq; iurati ſimul
Auferre conantur mihi.
Verum tamen tot obrutus malis Deus
Committo me clementiæ
Tuæ obſecrans opem tuam, cui in manu
Sunt tempora & fatum meum.
Me quæſo ſerua, ex hoſtium potentia
Me quæſo tandem vindica.
Vultus tuos mihi exhibe ſeruo tuo,
Et libera me, quæ tua
Eſt lenitas. ſic impij ſe, non mea
Fruſtrabitur me ſpecula.
Quando fidem inuoco tuam, quam viribus
Neruiſque freti iſti ſuis
Temnunt, ad Orcum fulminante dextera
Detrude eos pater Deûm:
Vt ne audiatur iſta vanitas malè
Loquentium, qui congerunt
Tot arroganter, & ſuperbè crimina
Atrocia in virum bonum.
Sed tanta ſunt, numen tuum colentibus
Quæ præparas ſolatia,
Dum ſtrenuè illi præliantur cum impijs,

Videns vt humanum genus
Quàm conſulas eis, quòd in te ſpem ſuam
Omnem locant, præter modum
Miretur, & temnat bona hæc fugacia,
Deincepſque ſe adiungat pijs.
Quis non tui miretur in vitæ integros
Benignitatem numinis?
Vt ſint boni tuti, atque ſecuriſsimi
Ab hoſtis inſidijs feri,
Atque impetu, transfers tuum in cubiculum.
Vt non domus tam regia
Siue paries, quam regis acies ipſius
Salutem eis cuſtodiat.
Tutela vbi gaudent tua, hoſtes nec vident
Feros, vbi non voculas
Vllas, nec obtrectationes audiunt.
Quare ſupremo gratias
Rectori ago ingentes, meas qui anguſtias
Benignitate maxima
Eſt proſecutus: vt ſalus eſſet mea
Perinde tuta illic, quaſi
Munita præſidio, atque muro, & mœnibus.
Sed cùm in fuga prius forem,
Iam iamque me aduerſarius telis agens
Sedem immineret in meam,
Cœleſtium rex ſumme, penè de mea
Salute deſperaueram:
Me tunc & abiectum putaueram, tuo
Et deſtitutum numine:

Spes ipſa deſperatione cum mea
Iam cœperat contendere.
Tamen precatus ſum, & pias aures mihi
Accommodaſti: qui & iuuas
Nos, cum minus ſperamus: vt fiat tua
Illuſtrior clementia.
Parentem amate cœlitum viri boni,
Seruos fideles qui tegit,
Æquo patrocinatur, & ſuperbiam
Vltrice punit dextera:
Forteſq́, conſtanteſq́, ſitis iugiter
Opem morantes ipſius.

ARGVM. PSAL. XXXII.

Vates ſuo exemplo docet, ſi turpiter
Quid ſit, nefarieq́; commiſſum in patrem,
Et pœnitentiam ſalubrem exiſtere,
Confeſsionemq́; optimo gratam Deo.

PSAL. XXXII. SPINVLAE.

Beatus ille, cui pius
Condonat impio ſcelus
Pater ſupremus, cui nefas
Et omne crimen obtegit.
Beatus ille, cui Deus
Commiſſa multa præterit,
In cuius animo nil videt
Latêre fraudis & doli,
Qui puritatem non eam
Vnquam arrogat mentis ſibi,
Vt ſe indigere criminis.
Nulla ſui venia putet.

Sed

Sed quòd mea hæc, par vt fuit,
Peccata non noram pater
Sanctiſsime, iracundiam, &
Pœnam haud remittebas mihi.
Quò ſic eram aſsiduè miſer,
Confectus vt doloribus
Macie ſuprema & horrida
Deformis extabeſcerem.
At crimen vt meum tibi
Sum faſſus accuſans meam
Iniquitatem, id protinus
Mihi pepercisti Deus.
Ergo meo exemplo, & tua hac
Clementia adducti boni,
A te ſi aberrarint, citò
Culpam fatentes ſupplicent,
Veniamq́ noxæ poſtulent
Submde: ne ſibi ex die
Id ſi in diem protraxerint,
Grauiora ſupplicia luant.
Nam portum in hunc cùm venerint,
Hic, ſi qua tempeſtas erit,
Et eluuio, mergentibus
Aliis, erunt tutiſsimi.
Quò lenis euaſi pater
Per te, imbecillo qui mihi
Es robur & virtus, tua
Qui dextera me protegis.
Cùm me eruiſti fluctibus

Ad

Ad ſidera inſurgentibus,
Hunc tranſtuliſtiq́; in locum,
Quàm gaudio affectus fui:
Mox gratias egi tuæ
Benignitati maximæ,
Mox canticis & laudibus
Numen celebraui tuum:
Dignatus es cui dicere,
Fac bono animo ſis, inſtruam
Ego te, viæ monſtrans iter,
Figam mea in te lumina.
Quapropter ô viri boni
Præſens erit vobis Deus,
Si non malo genio, vt equus,
Aut mulus, indulſeritis,
Intelligentiæ quibus
Nil eſt: eos eques niſi
Frenis lupatis temperet,
Non vnquam ei morem gerant.
Sontes manent quàm plurima
Supplicia: qui verò in Deo
Spes collocant ſuas, patris
Benignitatem ſentient.
Quare ô boni lætamini,
Voſque exilite gaudio
Pij colentes auream
Virtutem, & innocentiam.

ARGVM. PSAL. XXXIII.

Exponit immenſam Dei potentiam,

Clementiam, & ſapientiam.

PSAL. XXXIII. SPINVLAE.

CVm gaudio patrem canatis ô boni,
Quorum eſt miſertus, vos decet
Benignitatem eius celebrare, & chely,
Neruorum & organo decem.
Summum nouo cantate numen carmine.
Pſallentium voci organa
Iungatis, & fides: alacritateq́;
Laudate maxima Deum.
Quicquid Deus fatur, iubet, vel præcipit,
Rectum, atq; ſanctum eſt, cum fide
Summaq́; coniunctum æquitate, qui gerit
Rectè, & facit cuncta ordine:
Omnem benignitate qui terram ſua
Eſt proſecutus, & polos:
Qui ſic potens eſt, orbium vt volumina
Immenſi Olympi, & ſidera,
Solem, atq; Lunam, quæ exhibent mortalibus
Spectaculum inſatiabile,
Effinxerit iuſſu pater ſolo: vt forent
Iuſſit, fueruntque illico.
Qui cùm ſalum, vndasq́; edidiſſet æquoris,
Collegit vtre immenſo eas,
Et abditas effudit in ſedes, vbi
Clauſæ, velint, nolint, ſuam
Semper habeant domum, nec vnquam terminos,
Quos ille fixit, tranſeant.
Quapropter omnis illius potentiam

Tellus

Tellus reformidet, viri
Ingentis orbis incolæ omnes ſupplices
Verendum adorent hunc patrem:
Quando tam inopinatumq́, & admirabile
Eſt, tamq́ inauditum nihil,
Quin ad voluntatem, atque nutum protinus
Ipſius exiſtat Dei.
Cuius poteſtas eſt ea, vt mortalium
Et cogitata, & machinas
Demoliatur, atq; conatum irritum, &
Conſilia reddat gentium:
At cogitata maximi rerum omnium
Deûm patris quis diſsipet?
In quam ipſe cogitationes rem abijcit
Suas, erit nunquam irrita.
Quæ ſempiternus ipſe rex deliberat,
Erunt perennia omnia.
Quare beata ter, quaterq́ natio,
Quæ numen ipſius colit:
Beata gens, quam elegit hinc pater ſibi,
Hæreditarium vt gregem.
Nam ſempiternis ille de poli ædibus
Deſpexit humanum genus,
Omneſq́ colluſtrauit è cœlo omnium
Acie ſua oras gentium:
Qui quos ſua finxit manu, horum introſpicit
Mentis domum, & ſedem intimam,
Et vniuerſa arcana eorum intelligit,
Et facta nouit omnia.

Non

Non multitudo copiarum principis,
Non corporis vires ducum,
Non militum robur, decor non vllius
Perſuadet æterno patri
Opus ſuum miranti eis vt conſulat:
Non forma, non vis, non opes,
Currus, equi aurumq́, ad ſalutem conferunt
Quicquam viris mortalibus:
Fugacia hæc ſunt vniuerſa, vanaq́,
Et falſa, adumbrata & bona.
Sola in benignitate numinis ſita
Eſt gentium vita, & ſalus:
Qua lenitate proſequi Deus ſolet
Qui numen ipſius colunt:
Tantùm ergo deſpiciens Olympo lumina
Intenta in his fixit pater,
Hos fauſtitati deſtinat cœleſtium,
Hos faucibus deliberat
Eruere ſolos mortis à crudelibus,
Ac ore ieiuno famis.
Non ergo ſpes noſtras in his fallacibus
Bonis locemus, ſed patris
In lenitate, qui ſuæ robur piæ
Genti, atque propugnator eſt:
Fidamus illi, qui pius, clemens, bonus,
Benignus eſt, vt dicitur:
Non rebus his mens noſtra, ſed luce ipſius
Dei triumphet gaudio.
Dignare proſequi obſecro dulcis pater

Et nos tua clementia:
His quando neglectis bonis noſtram, vt vides,
In te Deus *ſpem figimus.*

ARGVM. PSAL. XXXIIII.

Vates celebrat prouidentiam Dei,
Et liberalitatem in illos, qui ad thronum,
Sedemq́ue confugiunt patris cœleſtium,
Hortatur & cunctos ſua ad ſtudia pia.

PSAL. XXXIIII. SPINVLAE.

NOn rebus aduerſis minus, quàm proſperis
Summo Deo grates agam.
Omne eximam tempus celebrandis pij
Deûm parentis laudibus.
Tutela & eius gloriabor, & canam
Laudum ipſius præconia.
Quod audientes manſueti gaudia,
Boniq́ gaudebunt viri.
Vos ô pij nomen Dei *vnà laudibus*
Efferte mecum ad æthera:
Cantate mecum numinis clementiam,
Cantate pietatem ipſius.
Nam fortè cùm inuaſiſſet in me acerbitas,
Ac terror aduerſarij
In me ruentis, ſupplici prece ad Deum
Repente confugi meum.
Atque is ſtatim exoratus & ſede à mea
Hoſtem, & timorem omnem expulit
A mente, cunctis liberans me anguſtijs
Clementia clementior.
O mens quibus refulget igne cœlitum,

Aduerſa cùm fortuna vos
Iniuria inſectatur, ad thronum ipſius
Summa ite cum fiducia,
Eiuſq; opem implorate, nec vos ſpecula
Fruſtrabitur: namque omnibus
Pulſis tenebris hic malorum, mox diem
Vobis quietis afferet:
Vt deſtituto huic omnibus mortalibus
Nunc contigit; quem exaudijt
Deus precantem, & vindicauit illico
Anguſtijs ab omnibus.
Tanta eſt Dei *aduerſus bonos clementia,*
Vt cùm parant inuadere
Hos impij caſtris, beati cœlites
Præſto iubente ſint patre,
Illoſq; circummuniant ſtatim vndique,
Reddantq; tutos à malis.
Quòd ſi, pij, eſt vobis in optatis Dei
Clementiam cognoſcere,
Beatitudinemq; fidentis patri
Cœleſtium ſummo quaſi
Videre ocellis, ad Deum *iſta auertite*
A vanitate lumina,
Ac liberalitas Deûm *regis quibus*
Nos obliget beneficijs,
Ornetq;, diligenter, vt gratos decet,
Noctes, dieſque attendite.
Quapropter ô numen viri ſancti pium
Colatis omni tempore;

Nil deeſt enim ſummum colentibus Deum,
Quòd ipſe eis ſemper cauet.
Iſti quidem, qui infirmiores præde habent
Omnes loco, illoſq́, opprimunt,
Penuria æterna, & laborabunt fame,
Sed diuites erunt boni.
O ferte liberi pedem, ferte ocyus,
Pareteq́, mihi: nam patris
Cultum ſupremi vos docebo, & inſtruam
Legum Dei *ſcientia:*
Si vita felix, ac beata fauſtitas
Cordi eſt tibi, frenum inijce
Linguæ tuæ, labriſque, ne incurrant dolum,
Ne in malitiam, & fraudem incidant:
Studijs malis ne deditus ſis, fac bene:
Hanc deinde veſtiga viam,
Qua pacem ad almam peruenitur, vt Deo
Sis carus & mortalibus.
Et hac via inuenta, relictis omnibus
Illam teneto diligens.
Vitæ, atq́, morum integritatem dilige:
Summus Deus *nam lumina*
Ad innocentes vertit atque horum preci
Aures benignus applicat.
Vultuq́, toruo ſpectat impium, & parat
Libranda in illum ſpicula
Iratus, ex animo ſtudens mortalium
Delere memoriam ipſius.
Contrà dat obſecrantibus quod poſtulant

Bonis,

Bonis, eoſq́, ex omnibus
Anguſtijs acerbitateq́ue eripit,
His quam improbi creauerant.
Fractis, & afflictis viris, mœroreq́,
Ac miſeria Deûm parens
Adeſſe clementiſſimus ſemper ſolet,
Fauereq́, libentiſſimè,
Defendere, & iuuare, homo quos deſerit,
Queiſue exhibet negotium.
Vitæ integris præſtò eſt, quibus quidem mala,
Vt fit, cadunt quàm plurima,
Verùm optimus parens eos ſic protegit,
Vt omnia ipſis integret:
Quos vulnerarant impij ferro, omnibus
Horum medetur artubus:
Per vim mali quæ abſtulerant, ijs duplicat:
Sonteſq́, eos qui oppreſſerant,
Vlciſcitur manu ſua, cruciatibus
Hos ſempiternis afficit.
Vitam omnium is defendet innocentium,
Euertet omnes impios:
Nullum ſinet perire eorum, qui ſuo
Se crediderunt numini.

ARGVM. PSAL. XXXV.

Implorat auxilium Dei in ſæuiſsimos
Hoſtes, eorum perſequens nefaria
Magno impetu ſermonis, & ſtudia impia.

PSAL. XXXV. SPINVLAE.

QVando tibi deſeruio rex cœlitum,
In me irruentes irruas,

 Bel-

Bellum mihi inferentibus bellum inferas,
Ades mihi, auxilium ferens.
Immanis hoſtis ecce ſupplicem tuum
Maturat armis inſequi,
Et ſcuto, & haſta: at tu Deus *te quà venit*
Iſta obijcè armatum ægide,
Et lancea, & ferro: atque iter, ne conſequi
Me poſsit, intercludе ei:
Vt ſentiens vitam tueri te meam,
Fruſtretur aduerſarius:
Vt id, mihi quod machinatus eſt, malum
Suum redundet in caput:
Vt qui ſtudet vitam mihi profundere,
Vitam ipſe profundat ſuam.
Vt turbo latè puluerem atrum diſijcit,
Sic expeditus iactet hos
Sectantium impetus tuorum cælitum.
Qua fugerint illi via
Sit lubrica, atq; obducito noctem nigram
His, & tenebras: milites
Vbi tui integri, recenteſq; enecent
Sontes ad vnum languidos,
Quòd innocentem iniuria telis ſuis
Me perſequuntur efferi,
Hi, quippe qui omittunt nihil fallaciæ,
In me quod haud excogitent.
Quæ vis mihi intentata ab his eſt, in caput
Quæſo recidat per te ſuum:
Quæ iniquitas cædem in meam hos exercuit,

Ver-

Vertatur exitium in ſuum.
Clades repentina oro ſic hos opprimat,
Vt nullus euadat necem.
Sic ipſe magno geſtiens præ gaudio,
Incomparabilis Deus,
Te laudibus polo efferam, qui humillimos
Ope deſtitutos, omnibus
Preſſos, & imbelles tua manu aſſeris
Clemens ab hoſte barbaro.
Sed rex Deorum *iniqua teſtimonia*
Me vanitate, & crimine
Falſo premunt, me deferunt, quas neſcio,
Rebus de eis me poſtulant:
Studijs mihi pro maximis in ſe meis
Iſtam rependunt gratiam:
Fortuna eorum afflicta cùm admodum foret,
Veſtes erant ſaccus meæ,
Et ſupplicabam iugiter pro eis tibi,
Ieiunio corpus meum,
Vt ſcis, macrum reddebam, & ora ſqualida,
Flebam, vicem illorum dolens:
Incommodo horum commouebar non minus,
Quàm vinculo ſi arctiſſimo
Deuinctus eſſem cum his neceſſitudinis.
Et lacrimabam non ſecus,
Ac ſi parens extincta dulcis mi foret,
Ac ſi periſſent filij.
Contrà modo iſti maxima aduerſis meis
Gaudent iniqui gaudia:

Non me modò affecere contumelia,
Iniuriaq́, non modò
Hi continenter irruêre in me, at etiam
Famelicum, abiectiſsimum
In meque iners vulgus coëgere, & malum
Scurram, atque claudum, & pauperes:
Qui voculis, qui irriſionibus ſuis,
Sanniſq́, me proſcinderent,
Palamque torquerent miſellum, dentibus
In me ſuis qui frenderent.
Quouſq́, mortales miſerias in meas
Rex ſumme perditiſsimos
Sines mihi inſultare tam crudeliter?
Quouſq́, te obſecro, feres
Inulta, & impunita eorum crimina?
Iam quæſo propulſa DEVS,
Iniurias ſerui, atq́, perniciem tui.
Iam derelictam ab omnibus
Meam ſalutem ab impetu hoſtis, & minis
Defende crudeliſsimi:
Vt te canam gente in frequenti, & prædicem
Donum tuum, atq́, in cœtibus
Sanctiſsimis te laudibus cœlo efferam.
Fac oro, ne lætentur hi,
Qui me inſequentes impiè illudunt meis
Supreme fortunis pater:
Iniuria qui odere me iniuſtiſsimi,
Qui nil amicè vnquam valent
Cuiquam loqui, qui machinantur in bonos,

Et

Et manſuetos iugiter,
Rictuque diducto in me ita vnà dictitant,
Ehem iam eum, iam vidimus,
Iam vidimus mœrore, fletu, & lacrimis
Sic perditum, vt cupiuimus.
Vidiſti & ipſe rex poli, mortalium
Vidiſti hoc ingratum genus
Quàm acerbè, & inſolenter inſultat mihi.
Quare oro ne connixeris
Crudelitate in hac: tuumq́ue ſupplicem
Ne deſere in tantis malis.
O rumpe iam moras pater cœleſtium:
Conſurge, conſurge ocyus:
Ac pro tribunali ſedens rogo mihi
De barbaro hoſte iudica:
Et æquitate pro tua defende me,
Cauſamq́, diſcepta meam:
Mihi oro tandem iudica rector potens,
Mihi faue numen meum:
Ne gratulentur improbi diſcrimine,
Malis & exultent meis,
Vt fletu, & exitio triumphantes meo,
Vt compotes voti ſui.
Sed erubeſcant, & dolore peſſimi
Rumpantur hoſtes: & meo
Nunc gloriatur quiſquis infortunio,
Decollet illum ſpes ſua.
Quiſquis mala inſultat gementis in mea,
Fruſtretur omni tempore.

 Me

Me libera tuum ergo cunctis à malis:
Vt, qui innocentiæ meæ
Fauent, boni omnes de ſalute gaudeant,
Lætentur, exultent mea:
Vt ij, qui amant pios colentes numina,
Grates tibi ingentes agant:
Vitam quòd à te ſit datum mihi colere
In pace, dulciq́; otio:
Vt ipſe rectum & dona prædicans tua
Cœlo feram te laudibus.

ARGVM. PSAL. XXXVI.

Et cogitationem, & impij canit
Facta improba, & benignitatem numinis.

PSAL. XXXVI. SPINVLAE.

PErſuaſit improbi ſcelus
Prorſum mihi, cupidoq́;
Rerum caducarum, verendi numinis
Non vllo eum tangi metu:
Qui dum ſibi arridet, ſuis
Id conſequi factis ſolet,
Integri vt incurrat odium viri, patris
Offenſionemq́; ipſius.
Sunt oris eius improba
Verba, & doloſus eſt, bene
Omnes docentes exigit, ſententia
Recta, actioneq́; abſtinet:
Excogitat noctu ſcelus,
Quod edat in bonos die:
Mortis viam inſiſtit, malus ſemper ſtudet

Se peſſimis adiungere.
Iniquitas cùm tanta ſit
Deus hominum, tamen tua,
Qua fers nefas horum, amplior clementia eſt,
Fideſq; multis partibus,
Qua perpeti fide ſoles
Malos, bonis vt conſulas.
Rectumq; montibus tuum altitudine
Par eſt quidem excelſiſſimis,
Et iudicia magè abdita
Certè tua imo ſunt mari:
Nam conſilia tua, atq; prouidentia,
Pietas, modus, ſapientia,
Qua temperas hanc machinam,
Eſt tanta, ſuſtentes vti
Hæc vniuerſa animantia, omnes vt feras,
Mortalium & cures genus.
Hinc optimus quiſq;, & bonus
Alis tuæ clementiæ,
Pulli vt volucrum, conteguntur, ſæuum vbi
Non impetum hoſtis ſentiunt.
Qui ſancte committunt pater,
Fidei, atq; tutelæ tuæ
Se haud conſequentur hi modò æternas opes
Poſt hæc breuia certamina,
Sed vita in hac etiam tuam
Benignitatem ſentient:
Nam ſpiritu afflati tuo vitam Deûm
Hîc æmulabuntur piam.

Peren-

Perennitatemq́, his dabis
Rex ſumme, per quem viuimus
Vitale hoc æuum, quem penes ſpes, vitaq́,
Et lux bonorum eſt omnium.
Quapropter his ſplendor tuæ
Cùm notionis aureus
Illuxerit, tum nox faceſſet omnium
Errorum eis, & criminum,
Surgetq́, lux clariſſima,
Summum intuebuntur bonum,
Et gaudia, & veram voluptatem, atq; eis
Fruentur omni tempore.
Sed cùm omne in humanum genus
Clementia vtaris tua,
Hæc oro profluentius manet tuos
In ſupplices, & largius,
Qui diligunt te, æquum & tuum
Colunt, & innocentiam.
Ne quæſo propinquet ſuperbi pes mihi,
Vim vi repelle à me Deus:
Nec vexet eius me manus,
Quam deſtinauit ad ſcelus.
A maxima ærumna vt quieta aliquando ſim,
Et mente per te interrita.
At iſti iniqui ſentiant
Tandem tuam iracundiam.
Eum in locum obſecro furens hos deijce,
Quem præparaſti omni improbo,
In his vbi cruciatibus

Sint vſq; vti perennibus
Frangantur ærumnis, & horreſcant noui
Nouo mali ſemper metu.

ARGVM. PSAL. XXXVII.

¶ *Ad Fauſtinum Barbonum Soncinenſem.*

Quem ſemper odiſti impium cariſsime
Barbone, cantus hic monet
Vatis cauendum, atq; id, quod integerrimus
Parens amauit, iugiter
Aequum ſequendum, optata quò nobis Deum
Contingat immortalitas.

PSAL. XXXVII. SPINVLAE.

FElicitate ne impij te torqueas,
Neq; inuide mortalibus
Bona hæc fugacia improbis.
Nam qualis herba mox virens deciditur,
Agriq; culti gramina,
Fortuna eorum mox perit.
At ipſe contrà, ſi cupis longiſſimo
Terras habere tempore,
Eiuſq; paſci fœtibus,
Fiduciam in ſummo parente colloca,
Et æquitatem dilige,
Ac te Deo oblecta pio:
Qui cuncta, quæ deſideras, tibi dabit.
Clementiæ eius te, & tua
Committe, pendeq; ex eo:
Et prouidebit is tibi: clariſſimam,
Et reddet illuſtrem penes
Cunctos tuam innocentiam.

In

In rebus aduerſis quietus iugiter
Morare, dum pater tibi
Præſtò ſit, atq; opem ferat:
Morare ſemper quæ Deus receperit
Tibi, nec irriteris ob
Iugem impij affluentiam.
Cui cuncta ſuccedunt ferè ex ſententia,
Ira, & furor non ſuadeat
Scelus tibi illius ſequi.
Cædentur omnes improbi, ſed qui patri
Fidunt ſupremo vberrimis
Terræ fruentur commodis.
Breui impius peribit tempore, & nihil
Pompæ, & prioris gloriæ,
Statuſq; pòſt videbitur.
Verùm colentes numen vſq; ſentient
Clementiam Dei, ſolum
Quietè habebunt iugiter.
Iniquitate præditus conabitur
Viros bonos excindere,
Frendens in illos dentibus:
Deus videns inſtare tempus, quo viri
Plectatur omnis iniquitas,
Ridebit illius minas.
Ferrum impij ſtringunt, ſagittaſq; in bonos
Vertunt, vt illos vulnerent,
Pieq; viuentes petant.
Enſem retorquebit ſuum in malos pater,
Remittet euolantia

In

In cor eorum ſpicula.
Præſtantiora ſunt bonorum commoda
Puſilla, quàm nocentium
Fortuna florentiſſima:
Hos cum nepotibus Deûm rex improbis
Delebit, illos, & pium
Clemens perennabit genus.
Morum integris ſic prouidet, ſic conſulit,
Vt donet illos cœlitum
Felicitate perpeti,
Vt vſq; tempeſtate in horrida hos tegat,
Famiſq; paſcat tempore
Ambroſia, & almo nectare,
Cùm poſt honores & voluptates patris
Hoſtes in auras illico,
Vt fumus vndans, euolant.
Quin ipſe conditione tenuis eſt pius
Meliore, abundans quàm malus,
In his bonis fugacibus:
Hic ære multo, quamlubet ditiſſimus,
Semper alieno obſtrictus eſt
De intemperantia ſua,
Nec liberare vult ſe eo, vel non poteſt:
Non ergo amicis reddit id,
Quod mutuatus eſt, ſuis:
Illi ferè vnquam haud deeſt, quod alteri piè
Miſertus, auxilium ferens,
Det, largiatur, mutuet.
Quò ſic amat ſator deorum omnes pios,

San-

Sanctoſq́, fautores vti
Cunctos eorum diligat:
Sic odit, illis qui exhibent negotium,
Vt vniuerſi dent ei
Odij ſui pœnas graues.
Cui facta ſunt tam accepta iuſti, & integri,
Vt, ad polos dum tranſeat,
Huic ſit viæ dux & comes:
Vbi huic cadunt ſi aduerſa, nunquam per Dei
Hunc ſuſtinentis numina
Videbis his ſuccumbere.
Puer fui, qui nunc ſenex: nunquam pium
Linqui à Deo vidi, famem
Nec pignora eius perpeti.
Quòd mutuum dat pauperi, & donat ſuis
Poſt copioſas cœlitum
Parens opes dat poſteris.
Ne indulgeas genio, ſed æquum diligas
Poßis vt hic feliciter
Durare longò tempore:
Nam rex Deûm æquitate pro ſua bonos,
Caſtoſq́, nunquam deſeret,
Sed vſq́, eos tuebitur.
Omnem impium eruet, genuſq́: at vos ſola
Terrarum habebitis pij
In ſempiterna ſecula.
Vir iuſtus, & bonus libens ſapientiam
Tractabit, ac æquum ipſius
Loquetur os purißimum:

Nam

Nam mente pura diligit leges Dei,
Antiquius cui nil, patris
Quàm iuſſa vt almi intelligat,
Idque, vt voluntatis Dei ad normam ipſius
Vſq; rationes hîc ſuæ
Vitæ vniuerſas dirigat.
Hinc non vacillat, non timet, non corruit,
Sed perſeuerat tempore
Vitæ viam omni perſequi.
Obſeruat impius bonos, vt enecet,
Inquirit vſque quomodo
Valeat eos extinguere:
Sed non Deus committet, vt compos mali
Voti ſit: eius machinæ
Vertentur in caput ſuum.
Pios DEûm *rex haud ſinet calumnijs,*
Si quando per virum improbum
Vocentur in ius, opprimi.
O qui imbecillis es, moleſtè qui ſoles
Ferre impio ex ſententia
Cuncta fluere, & bonum premi,
Spes ſit tibi in DEO, *æquitatem dilige:*
Sic te euehet virtus polo,
Et ſic eris ditiſſimus:
Mirabere euerſæ impiorum excidia
Stupens domus fumantia,
Tibiq; gratulaberis.
Virere, laurus vt ſolet lætiſſima,
Sic impium vidi, ipſius

Et nomen increbeſcere:
Ac inde præterij (vt fit) ædes, in quibus
Florebat, & rogans de eo
Viciniam, non repperi.
Euanuiſſe reddiderunt illico,
Vbi inquio, eius liberi?
Periere cum patre improbo.
Obſerua & euentum impij, & viri boni:
Hunc & videbis conſequi
Vſq; exitum optatiſsimum,
Illum optimo ex ſtatu, atq; florenti omnium
Rerum, gementem deijci
In ſupplicia perennia.
Quapropter eſt ſalus bonis cœleſtium
Regnator, adiuuat, tegit
In rebus aduerſis eos,
Seruat, fouet, munit, beatq; vindicans
Ab impio, omnem ſpem ſuam
Quòd fixerant in numine.

ARGVM. PSAL. XXXVIII.

Deplorat hoc ſuum nefas poëmate,
Et propter id quæ fert mala.

PSAL. XXXVIII. SPINVLAE.

NE quæſo domine me tuus furor opprimat,
Neue ira ſæuiat tua:
Sed qui pater mihi es, paterna filium
Seueritate punias.
Cùm fixeris tot ſpicula in me, me petis
Pendens adhuc in verbera?

Nil linquitur non vulneratum in me Deus
Iniquitate pro mea.
Horreſco præ tui furoris (vt vides)
Iugi metu, doloribus
Rumpor: ſcelus mirum in modum caput mihi,
Ceu pondus ingens deprimit,
Vti minus vires mihi grauiſsimo
Oneri ferendo ſint pares.
Vulnus recrudeſcit mihi, & plagæ admodum
Putent, mea de amentia.
Depreſſus vrgeor nimis, me pœnitet
Vitæ. quid? inteſtina me
Grauioribus plaga & malum cruciatibus
His, qui videntur, afficit.
In corpore, & animo nihil non ſaucium,
Fractúmue, & attritum meo
Sic eſt, vt eneruatus eiulem, & gemam
Præ maxima ægritudine.
Non, quid velim, te præterit Deus: mea
Non te latent ſuſpiria.
Cor palpitat mi languidum, atq; viribus
Sum deſtitutus omnibus:
Aciemq; lux hanc deficit præ lacrimis.
Cognati, amici, proximi,
Cùm cæderer, gaudere conſtantes procul
É*que regione gaudia.*
Qui ſe in necem exercent meam, qui incommodo
Meo, & ſtudent cruciatibus,
Peſtemq; machinantur in me, tunc ſuum

Virus vomebant aſperum.
At ipſe tanqaam ſurdus, aut mutus, nihil
Omnino reſpondebam eis;
Numen vocans tuum Deus. iam lacrimas,
Meumq́; fletum exaudias.
Quid poſtulem? niſi vt meo ne gaudeant
Caſu, malis vt ne meis
Lætentur, & victoria plaudant. pati
Flagra hæc paratus ſum tua:
Non excident mihi anxio iſta verbera,
Dolorq́; quod vitium meum
Non cœlo, me mirum in modum quod obruit
Olim cauebo diligens.
Vides, mihi quàm diſplicent piacula,
Quàm continenter lugeam.
Ecquid pium ergo numen ô Deus meum,
Me perſeueras temnere?
Ecquid mei hoſtes barbari, qui iniuria
Me perſequuntur obrutum
Malis, & hoc, qui ſemper illis profui,
Mihi ſtudent rependere,
Qui, quòd tuas leges amo ſanctiſſimas,
Mihi exhibent negotium,
Viuunt tamen per te, valent, florent, ſibi
Bonis abundant omnibus.
Quare ſalus mea, atque robur ô Deus
Iam ſupplici tuo caue,
Iam perdito mi lenitate pro tua
Opem feras ocyſſimè.

ARG.

ARGVM. PSAL. XXXIX.

Rex Abſalonis impetum fugiens pius
A Semeo in via (arbitror) pauperrimo
Deſpectus, humanas vices, incommoda
Luget, querens oratione flebili.

PSAL. XXXIX. SPINVLAE.

SIc numini placere conſtitui pio,
Vt non modò à piaculis
Velim abſtinere, ſed etiam à ſermonibus
Bono parum dignis viro.
Linguam ergo promptam temperaui diligens
Freno quaſi iniecto mihi,
Tot iurgijs, probris viri & acerbiſsimis
Me cùm maligni inceſſerent.
Obmutui quidem, vt vſq; temperauerim
Verbis bonis, iuxtà & malis.
Seſe interim obiecit animo triſti meo
Mei memoria criminis,
Quod crimen hæc mihi creauerat mala,
Id quod dolori maximo
Fuit mihi: æſtuabam in hac cura nimis,
Me vt pœniteret ducere
Vitam, atq; ſpiritum: æger vt forem admodum.
Furens vt ignis abditus,
Clauſuſq; tormento cauo inquirit viam,
Qua poſſit inde erumpere,
Sic cogitatio mea intus ſæuijt:
Tandemq; mox ſilentium hoc
Sermone rupi, Eheu quouſq; cœlitum
Parens, quouſq; in tot malis

Vis eſſe me? huius obſecro fac vt ſciam
Vitæ meæ qui ſit modus,
Et quamdiu hæc feram miſer. nonne eſt via
Mortalium breuiſſima?
An longus horum curſus eſt? non temporis
Punctum dies ſunt ipſius,
Æternitati conferantur ſi tuæ?
Natura noſtra eſt vanitas.
Vt quædam imago vana adumbrata, ipſe homo
Sic præterit vitam ſuam.
Accedit his incommodis, quòd tam breue
Tempus ſibi à fatis datum
Lætè, atq; tranquillè, & quietè neſcit is
Veſanus hic traducere:
Torquetur effrena miſer cupidine,
Spe commouetur, & metu,
Amore tangitur, odijſue, gaudio
Geſtit, dolore frangitur:
Inaniter laborat amens, congerit
Inaniter vanas opes,
Aurumq; fuluum, quos in vſus obſecro?
Quid bulla homo, quid angeris?
Queis iſta componis rogo fugacia,
Queis iſta comparas bona?
Verùm mihi Deus quid optem? quid? niſi vt
Sit ſpes mea in te, non in his
Fallacibus. commiſſa quare iam mea
Obliuione deleas.
Fac vt ſcelus odio, nefaſq; proſequar:

Ne

Ne ſi æquitatis ſemitam
Reliquero, nocentibus ſim oſtentui,
Quando ſolent ridere me,
Si quam probaui, perſequar minus viam.
Si immiſeris vel pauperes,
Qui verberent me, quò tibi pœna hac luam
Delicta, nil prorſum loqui,
Nihil ſtudebo reddere horum iurgijs.
Sed abſtine quæſo manum,
Et quando perij totus, heu Deûm parens,
Ne amplius pulſaueris.
Cùm tu piè propter ſcelus nos corripis,
Cara vt parentis pignora,
En vt ſolent veſtes reconditæ diu
Vſq; tineis inertibus
Exeſæ, ita ipſi (humana quæ eſt infirmitas)
Tua perimus dextera
Pulſati, & icti inuſitato verbere,
Plagiſq; non placentibus.
Quapropter exaudi pater clementiæ
Precationem oro meam,
Et ne tui contemptum habeto ſupplicis
Clamorem, & hæc ſuſpiria,
Ne lacrimas, queſtumq; reſpuas meum:
Exaudias hunc aduenam,
Qui in hoc peregrinatur orbe temporis
Spacio breui, vt patres ſui,
Exaudias: & abſtineto paululum
Grauem prius manum obſecro,

Quàm migrem eò, morte unde preſſus pallida
Nunquam reuertar huc inops:
Quò te prius, qui iratus es modò, & tuum
Numen benignum ſentiam,
Quàm extinguar, & miſella conſpectum mea
Vmbra in tuum ſe conferat.

ARGVM. PSAL. XL.

Diuina proles pro ſuo reditu, vt patet,
Ad vitam, agit grates patri.

PSAL. XL. SPINVLAE.

M*Agna æquitate animi patris Deûm auxilij*
Dilationem ſuſtuli:
Precabar illum iugiter: tandem mea
Oratione flexus eſt:
Et me audiens reduxit Orci à faucibus,
Ex horrida voragine,
Lutoq́; cœnoſo, & profundo gurgite
Exemit undis obrutum:
Vbi nequibam ſtare, vbi conſiſtere
Minus dabatur anxio:
Supremus unde rex pius cœleſtium
Eum in locum me tranſtulit,
Vbi licet me liberè ſtare, ingredi
In tuto, & hac aura frui.
Quare is genus nouum canendæ ſufficit
Mihi ipſius clementiæ:
Quem continenter laudibus cœlo efferam,
Illiq́; habebo gratias.
Quò plurimi, qui non putabant anteà

Curare mortales Deum,
Nec eſſe numen, hunc videntes nunc ſuis
Quàm conſulat cultoribus,
Seq; fidei incipient patris committere, &
Benignitati fidere.
Beatus ille, qui fauore & gratia
Non nititur mortalium,
Qui pleniores, viribus, potentiæ,
Auroq; præfidunt ſuo,
Sed in Deo ſpem figit omnem & collocat,
Ac numen eius concinit.
Deum ſed appellare iam libet meum,
Eiuſq; laudes dicere.
Quas inde mundi ab vltima iam origine
Res ſumme geßiſti pater,
Mortalium optata tibi pro perpeti
Salute præclarißimas,
Inuſitatas prorſum, & admirabiles,
Quis numero eas comprehenderit?
Quis dignè eas verbis ſatis poßit tibi, &
Oratione perſequi?
Sed quas adhuc mactauit hæc gens hoſtias,
Hæ non tibi amplius placent.
Deinceps nec offerri tuo vis numini
Huiuſmodi piacula.
Has victimas, & ferta familiariter
Tibi haud probari me edoces:
Quod præcinis per integros vates tuos,
Quod admonent leges tuæ.

Nutu tuo accepto pater, dixi illico,
Numen tibi en adſum meum,
Faciam tua imperata protinus, tuum
Iuſſum paratus exequi.
Fertum nouum (tua vt canunt oracula)
Sacrumq́ iuſtitiæ, tibi
Quod poſtulas, vt tu vides, mortalium
Conuentui omni prædico.
Cui non canam hæc, omitto non vllum oppidum,
Non ciuium frequentiam.
Annuntio Hæbreis tuum rectum omnibus,
Et vniuerſis gentibus,
Annuntio clementiam, fidem tuam,
Benignitatem maximam,
Quippe antè qui iam ſeculis multis genus
Humanum ab hoſtibus ſuis
Te vindicaturum, & daturum præmia
Perennia huic promiſeras:
Quod præſtitiſti (quæ tua eſt fides) viam
Vitæ, & ſalutem amantibus.
Hos vindicas à mortis ægræ faucibus,
Hos adiuuas, his fers opem:
Vt contigit mihi, anxius cùm te penes
Precatione hac vterer:
Qui à condito orbe ſupplicantium
Tibi miſertus es pater,
Et eruiſti a morte, fac clementiæ
Et ſim ipſe particeps tuæ.
Quando tot obruor malis, tuere me

Benignitate pro tua.
A fronte præceps locus, & à tergo uti
Sunt inſequentes me lupi:
Commiſſa tot, peccata me tanta opprimunt,
Vt non videre poſſim ea.
Anguſtijs, & torqueor cruciatibus,
Ita vt animum deſpondeam,
Quapropter ô numen meum me libera:
Me quæſo tandem reſpice:
Mihiq́, matura prius ſuccurrere,
Quàm totus obruar malis.
Qui me volunt necare, ſint inglorij,
Fruſtretur illos ſpes ſua:
Qui machinantur ſupplicem in tuum, precor,
Cuncti occidant per dedecus:
Turba impudens cædatur hæc, quæ vocibus
Crudelibus me territat.
A tot malis me vindica oro: vt gaudeant,
Lætentur, exultent boni,
Vt qui ſtudent vitam ſuam committere
Deo, ferant te laudibus.
Contemptus, atq́, afflictus en vt ſum DEUS,
Clemens, mihi iam conſule,
Et libera quæſo, feras opem citus,
Et ne moreris amplius.

ARGVM. PSAL. XLI.

Commendat, afflictis piè qui conſulunt,
Accuſat improbos, ſuo qui cùm grauis
Langueret æger, vſque erant læti malo.

PARAPHR.

PSAL. XLI. SPINVLAE.

BEatus, afflictis canens, ac conſulens,
Qui ſic in hos affectus eſt,
Miſertus vt queis rebus hos poteſt, iuuet:
Illum viciſsim rex Deûm
Acerbitate ab omni in aduerſis piè
Sic vindicabit illico,
Vti ſenectam latè ad extremam in ſolo
Felicitate præditus,
Boniſq; florens omnibus ſit liberè
Acturus ætatem ſuam.
Venire non vnquam illum in hoſtis efferi
Deus poteſtatem ſinet.
Quando ei, vt fit, morbus interuenerit,
Huic præſtò erit, medebitur,
Lectumq; verſabit manu Deus *ſua,*
Vt is recumbat mollius.
Sed ipſe cùm periculoſe æger forem,
Deſertus à mortalibus
Cunctis, ſtatim ſupplex tuam ad clementiam
Supreme confugi pater,
Multis rogans numen tuum cum lacrimis,
Miſertus vt animum meum
Et crimine infectum & graui piaculo
Sanare velles protinus:
Sciebam enim curato eo, effœto quoq;
Rectè futurum corpori,
Vt quod laboraret ſodalis ipſius
Malis, & ægritudine.

At interim infenſi mala aduerſarij
Mihi imprecabantur, quibus
Nil longius ſenſi eſſe, quàm vitam vt mihi,
Et ſpiritum hunc amitterem.
Quòd ſi quis horum me doloſè inuiſerat,
Fingens amicum ſe mihi,
Id conſequebatur ſuo officio ſcelus.
Vel potius hoc piaculo,
Vt crimine cumularet hoc crimen ſuum,
Et noxiam noxæ adderet.
Quapropter egreſſus domo, ad ſocios doli,
Et fraudis impiæ aduolat,
Illis & vniuerſa, quæ intus viderit,
Acceperit de me, refert:
Atq; hîc nefariè ſuſurrant, & ſimul
Omnes mala intentant mihi:
Fiuntq; clandeſtina colloquia meo
De letho ab iſtis improbis:
Congratulantur, ſpeq;, votis & ſuis
Necem repreſentant meam:
Contaminauit hic profectò ſe, inquiunt,
Commiſſo inexpiabili.
Qua de re acerba morte iam mulctabitur,
Non ſurget amplius toro.
Sed illud in primis dolore lugubrem
Acerrimo me conficit,
Fecit quòd ille amicus inſidias mihi:
Quicum æuum agebam dulciter,
In cuius ipſe continenter & fide,

Amoreq́, acquieueram:
Nec fœdera illum ſancta amicitiæ, neq́,
Conuictus heu dulciſſimus,
Nec menſa, nec commune contubernium
Nefario hoc à crimine
Reuocare valuit: en feris ſeſe meis
Adiunxit aduerſarijs.
Ægrotus, & deſertus ergo almum patrem
Tali fatigabam prece:
At tu rogo abiectum, atque proditum DEUS,
Ac deſtitutum me omnibus
Ne deſeras, verùm tua iuues ope,
Et morbo ab hoc tandem leues.
Pœnaſque perfidiæ ſuæ, & fac criminis
Pendant mihi omnes impij.
Potiſſimùm re erga me in hac Deus, tuam
Agnoſco beneuolentiam,
Vires meas quòd integrari ſentio
Mihi medicina ægro tua.
Quò non reformido amplius, morte vt mea
Lætentur hoſtes barbari.
Quòd depuliſti his morbum ab artubus, meam
Miſeratus innocentiam,
Sanumq́, conſpectu in tuo me collocas,
Tuendum & ornandum tibi,
Et adiuuandum iugiter, tibi DEUS
Grates ago quàm maximas.
Qua de re Hebrææ gentis, auguſtiſſimi
Cantate facta numinis,

Can-

Cantate mortales Dei *clementiam,*
Sanctéq́, & auguſtè patris
Sonate laudum maximi præconia
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL. XLII.

Vt æſtuaret, exponit, cùm per nefas
Eiectus hoſte Saule non templum Dei
Valeret auguſtiſsimum ſubire, nec
Cum cæteris offerre ſacra numini.

PSAL. XLII FLAMINII.

VT cerua fontem anhela quærit anxiè,
Quam vis canum ſagacium
Vexauit, vrit arua dum Sol igneus,
Sic te pater dulciſsime,
Deſiderat anima mea, cor meum tuam
Sic expetit præſentiam.
O ſi niuea lux illa fulgeat mihi,
Cùm liceat ad templum Dei
Adire, & hymnos numini auguſtiſsima
Cum gente ſancta dicere.
Noctes, dieſq́, lacrimæ triſtiſsimæ
Fuere pro cibo mihi,
Dum continenter ſuſcitantur impiæ
Gentes, Deus meus vbi ſit.
Cur ille, dicunt, exulem ſeruum ſuum
Tantis relinquit in malis?
Iam fracta virtus ponderi ſuccumberet
Rerum aſperarum, niſi bona
Fulciret illum ſpes, & animum reficeret
Iucunda cogitatio.

Nimi-

Nimirum adhuc tempus fore, cùm ad amabilem
Redibo lætus patriam:
Tunc me meorum multitudo ciuium
Immenſa gratulantium
Templum Dei deducet ad ſanctiſſimum:
Tunc ciuitas clamoribus
Fauſtiſſimis ſonabit, omnia tinnulis
Latè ſonabunt plauſibus.
Ergo bona tibi tanta ô anima mea, à tuo
Promiſſa cùm ſcias Deo,
Cur non dolori iam modum figis? mihi
Cur omne tollis gaudium?
Committe iam, committe præſentiſſimo
Tuam ſalutem numini:
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.
Hæc ſæpe mecum colloquor, ſed intimis
Reſurgit in præcordijs
Quandoque tanta vis doloris anxij,
Vix vt queam reſiſtere.
Quapropter ad tui memoriam nominis
Amabilem ſæpiſſime
Recurram ô vnica ſpes mea, ô lux, & ſalus;
Carumq́; ſolamen meum:
Dulceſcet illa amaror omnis, & animo
Illa eluet curas meo
Quanquam paterna ſum fugatus à domo,
Vaſtaſq́; ſolitudines
Iordanis, auioſque ſaltus Hermoni,

Inhoſpitalem & Mizarum
Exul peragro, rerum egenus omnium,
Nunquam tamen tui pater
Non meminero, nunquam effluet animo meo
Dulciſſimum nomen tuum.
Eheu dolorem vrget dolor, neq; vlla ſit
Laboris intermiſſio.
Vt denſus imber, viſq; ſæua grandinis
Ingente glomerati agmine
Cùm turbulento decidunt ex æthere,
Magnis & omne nubibus
Cælum quatit tonitruum horriſonus fragor.
Sternuntur agri, ſternitur
Seges vireſcens, rura plenis omnia
Natare foſſis ruſticus
Miratur, heu tali pater miſerum agmine
Grauium malorum vſque obruis.
Sed tu ſerena placidus intueberis
Me fronte tandem, & candida
Lux pellet horridas tenebras: interim
Manente nocte deſinam
Laudes tibi nunquam canere, numen tuum
Nunquàm precari deſinam.
Dicam tibi flens, O ſalus, ô lux mea
Cur tandiu immemor es mei?
Cur lacrimis, dolore, luctu maceror,
Dum vexat hoſtis barbarus?
In fruſta corpus omne concîdunt meum,
Et me miſerrimè enecant,

Dum continenter ſciſcitantur impiæ
Gentes, Deus meus vbi ſit.
Cur triſtis es anima mea? cur nunquam mihi
Per te licet quieſcere?
Committe iam, committe præſentiſsimo
Tuam ſalutem numini:
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.

ARGVM. PSAL. XLIII.

Sequentis argumentum & eſt cantus idem.

PSAL. XLIII. SPINVLAE.

REcti patrocinium oro numen ſuſcipe,
Cauſamq́; diſcepta meam:
A barbara me natione vindica,
Et à duce iniuſtiſsimo,
Ac eius aſeclis, dolo, atq; fraudibus,
Piaculoque deditis.
Quid robur ô meum pater ſanctiſsime,
Me ſic tibi contemptum habes?
Vel cur labaſco, dum hoſtis ingentem impetum
In me facit teterrimus?
Iam mitte præſidium mihi, atque copias:
Queis ſeptus ad montem tuum,
Ad quem ſacrata ciuitas eſt condita,
Supplex tuus ſe conferat:
Ingreſſus vt fanum ſacroſanctum, tibi
Lætas ad aras ſupplicem:
Vti patrem, vnde gaudium emanat meum, &
Omnes voluptates mihi,

Atque vniuerſa commoda, ad citharam canens
Illic feram te laudibus.
Cur triſtis es anima mea? cur nunquam mihi
Per te licet quieſcere?
Committe iam, committe præſentiſſimo
Tuam ſalutem numini:
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.

ARGVM. PSAL. XLIIII.

Iudæa lamentatur à crudelibus
Gens barbaris vexarier, nec cœlitum
Regem adiuuare ipſos, eorum qui patres
Defenderat, beneficijs ornauerat
Quàm maximis: precatur, vt numen ſuum
Præſens ſit ipſis, eruatq́; anguſtijs.

PSAL. XLIIII. SPINVLAE.

A *Patribus, necnon auis accepimus*
Olim Deus *quod feceris*
Mirandum eis opus, feris cùm gentibus,
Maliſq́; nationibus
Eliminatis vndiq́;, horum vberrima es
Largitus illis prædia.
Qui quòd pararint illa, quòd victorias
Sint conſecuti plurimas,
Quòd oppida expugnauerint feliciter,
Et ciuitates illico,
Id non ſuæ eſt prudentiæ, non copijs,
Non arrogandum viribus,
Non diligentiæ, quod eſt totum tuæ
Benignitatis maximæ:

Quæ proſecutus ſic fuiſti omnes eos,
Dignatus vt ſis præpotens
His eſſe propugnator, & mirum in modum
Fauere in omni prælio,
Vt vim his miniſtrares, eorũm vt redderes
Omnem integrum vſque militem.
Ideò Iacobeos Deus victoria
Etiam tuos nunc affice:
Et nos tuo rex cœlitum commiſimus
Noſtram ſalutem numini,
Freti manu tua, vi, ope, atque robore, &
Potentia, hoſtes in fugam
Conuertimuſque, potimur & victoria.
Quapropter haud in viribus
Noſtris locamus, haud in armis, robore
Haud copiarum ſpeculam,
Tui ſed in clementia almi nũminis,
Et lenitate maxima
Quoties enim in bello, & periculis pater
Beate ſeruati ſumus,
Tua benignitate tantùm, & numinis
Virtute ſeruati ſumus.
Quare tibi erga nos Hebræos de tua
Pietate gratulabimur,
Et perſequemur ſempiternis laudibus
Nomen tuum illuſtriſsimum.
Sed quî fit, vt contemptui aduerſarijs
Nos eſſe peruèlis modò?
Quid caſtra, tu quibus fauebas anteà,

Nunc

Nunc dedis hoſti barbaro?
Quid eſſe nos oſtentui iſti fers? & hos
Quid vertis in fugam duces?
Quales bidentes, deſtinantur quæ ad necem,
Mulctamur ecce funere.
Tuo furore diſsipati in gentibus
Nefarijs ſumus, quaſi
Non ex tua re venditi. num rex DEûm
Es inde factus ditior?
Num comparata ex hoc tibi pecunia?
Opes tuo auctæ numini?
Num vidimus tuum magè increbreſcere
Nomen tibi, atque gloria?
Imò impotentem, quòd tuos non vindicas,
Te nationes iudicant:
Quòd arbitratu nos premunt ſuo, deis
Te poſthabent inanibus.
Quare DEus *ſupreme, ab iſta barbari*
Nos cripe inclementia.
Qui patriæ fines habent, ludibrium his,
Iocuſq́ue vicinis ſumus
Et ſannio, atq; fabula iſtis gentibus
Numen tuum temnentibus:
Deriſiones ipſi amici, & proximi,
Probrumq́; nobis inferunt.
Iam libera nos ô DEus, *quandoquidem*
Scelusq́;, turpitudoq́;,
Et crimen obuerſatur ante lumina
Nobis tuos quo offendimus

Ingrati ocellos. quiſq; noſtrum nunc tegit
Vultum pudore iugiter.
Ob hoſtis infeſtiſſimi huius voculas,
Malè & loquentis iurgia.
Non attamen te vnquam hæc ferentes omnia
Obliuioni tradimus.
Non vlla nos tormenta quiuere acria,
Acerbitáſue impellere
Ad ſanctionem fœderis Deus, *ſacras*
Legeſque ſoluendum tuas:
Quare ergo nos cum gente crudeliſſima,
Quæ eſt ſæuior draconibus,
Hìc eſſe cogis? nos quid addixiſti ita
In ſeruitutem barbaram,
Peiore conditione vt hi non ſint, feram
Qui deſtinantur ad necem.
Quòd ſi Dei *noſtri à ſacris ad numina*
Inania ipſi gentium
Nos contuliſſemus, domum vnus intimam
Qui nouit hanc mortalium,
Non crimen, & piaculum iſtud plecteret?
Iactare quis mendacio?
Et prædicatione non vera ſuam
Auderet innocentiam?
Quid multa? non quotidianis cædibus,
Quas numinis cauſa tui
Nos ferre cernis, vt ſolent miſellæ oues,
Teſtamur eſſe nos patris
Supremi amatores, tuæ & legis ſacræ,

Veriq́ue cultores Dei?
Quapropter aduerte huc tuum vultum prius,
Quàm deleamur funditus.
Matura opem genti tuæ ferre ô pater,
Et rumpe quæſo iſtas moras.
Conſurge, noſq; vindica numen pium,
Conſurge tandem rex Deûm:
Quid adiuuare prorogas nos? hoc malum
Quid excidit noſtrum tibi?
Quare tui longiſſima nos auxili
Dilatione conficis?
An vſq; nos temnes, & iſta lumina
Cœtu à pio auertes tua,
Crudelitatis impij, & noſtrum omnium
Acerbitatis immemor?
Nos quando depreſſi malorum pondere
Fortunam ad abiectiſſimam.
Et infimam ſumus pater, iam ſubueni,
Iam prouide nobis: opem
Orantibus fer, à malis tot libera
Benignitate pro tua.

ARGVM. PSAL. XLV.

Eſt nuptiale carmen hoc vatis pij,
In quo ſupremi principis
Regnum, decorq́ue virginis ſponſæ ipſius
Cantu celebratur nouo.

PSAL. XLV. SPINVLAE.

O *Dexteri, vatum quibus committitur*
Tutela, adeſte cœlites:
Vt quæ ſilens voluo diu ſub pectore

De rege præſentiſſimo,
Qui nos pius viſet hominum dolens vicem,
Cantu referre poſſim eo,
Rectore qui ſit cœlitum digniſſimus,
Gratuſq; numini ipſius:
Mihi mea vt lingua hæc citam velocius
Scribentis anteeat manum.
Dux omnium mortalium pulcherrime,
Tam grata, tam ſuauis tua,
Autoritatis plenaq; eſt oratio,
Facundiæ vis vt tuis
Omnino tota iſtis labris inſederit,
Æternus æterno Deus
Tibi Deo *proli vnicæ fauet ſuæ,*
Tibi & fauebit iugiter.
Heros potens lateri tuo enſem accommoda
Decus tuum: cui gloria,
Fauorq; honorem conſequentur maximum.
Atq; has quadrigas ocyus
Conſcende, ſint quibus rotæ, Verum, æquitas,
Et manſuetudo, & fides:
Quibus veharis ô Deus *per omnia*
Telluris iſtius ſola.
Dexteræ tuæ iſtud robur aduerſario
Cladem inferet mirabilem.
Curru volans tuo per arma, per truces
Exercitus virûm, petes
Corda hoſtium tuorum acutis ſpiculis,
Ecquis tuam victoriam,

Ec-

Ecquis duces, & milites eo die
Neci datos recenſeat?
Poſtquam triumphâris, ſedens throno ſine
Fine vniuerſa tu reges,
Tyrannide exacta ducum mortalium
Regna obtinebis omnia,
Terrarum & orbem temperabis iugiter,
Cui æquitas erit comes.
Quòd crimen, & peroſus impietatem, amas
Rectum, & bonum iuſtiſsimus,
Vnum Deus Deûm ſator nobis ducem
Te deligens ex omnibus
Creauit æternum, ſacro liniens tibi
Caput oleo ante cæteros
Tantarum opum, regniq́; conſortes tui,
Queis cedet immortalitas.
Te regijs ornauit ille veſtibus
Myrrham, atq; ſtacten optimam,
Atque caſiam redolentibus: domos dedit
Eburneas, vbi filiæ
Regum tibi deſeruiant pulcherrimæ.
Ad dexteram tibi aſsidet
Regina coniux dulcis, electiſsima,
Induta veſtes aureas.
O filia audi, attende, præbeas tuam
Aurem mihi: obliuiſcere
Gentis tuæ, parentis & tui domus,
Si vis Deûm regem capi
Tuis ocellis. eſto ad hoc gratiſsima

Clementiæ erga te illius,
Qua vincet expectationem ſic tuam,
Iuſſurus vt ſit protinus
Tyri puellas, cæterarumq́ urbium
Ditiſsimarum virgines
Afferre dona, & eſſe ſupplices tibi,
Saluti earum vt conſulas.
Veſtes acu pictæ, aureæq́ erunt tibi,
Decorq́ mentis intimæ,
Et cultus animi, quem ille rex Diuûm magis
Ornatu amat pallæ aureæ.
Sponſum ad tuum adducentur omnes proximæ
Tibi puellæ præditæ
Virtuteq́, & forma, atq́ pulchritudine,
Et moribus caſtiſsimis:
Te conſequentur in ſuperbam regiam
Viri tui, in palatium
Ingens & exultatione, & gaudio.
Regina, pro parentibus
Tibi relictis præpotens vir liberos
Tibi dabit quàm plurimos,
Terræ vniuerſæ qui tibi fines regent.
Quapropter omnibus tuum
Narrabo nomen poſteris ô filia,
Felicitatem vti tuam,
Tuiq́ ſponſi numen æternum canant
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL XLVI.

Sacro alloquens cœtus bonorum hoc cantico

Quot

Quot prælia, oppugnationes, bella ſit
Paſſurus aduerſario à ſuo canit.

PSAL. XLVI. SPINVLAE.

IN rebus aduerſis pater
Eſt robur, & fiducia,
Et grande præſidium omnibus
Nobis Deum colentibus:
Quare timor fac exules,
Seu motibus terræ ſolum
Quaſſetur iſtud horridis,
Seu transferantur ardui
Montes in vndas æquoris,
Seu concitetur tanta vis
Cœtum in bonorum, vti maris
Tempeſtuoſi fluctibus
Monteſq; commouentibus,
Moleſq;, componi queat
Horum impetus crudelium.
Nil hæ minæ, nil impetus
Officit ingruentium
Vnquam malorum ciuibus.
Vrbis Dei, quam ipſe, vtpote
Sacrarium ſuum colit,
Fauor patris quam reddere
Et tutam ita, & lætam ſolet,
Vt ſi alta flumen ipſius
Perlatum obiret mœnia.
In hac Dei fanum eſt, vbi
Is continenter præpotens

Habet

Habet, ſuiſque ciuibus
Mature opem fert omnibus.
Atq; hinc locutus eſt pater
Rector Deûm, & mortalium:
Ad ipſius vocem omnia
Commota regna ſunt, agri,
Saltuſq; pauere ardui:
Et paruerunt illico
Iuſſis tremendi numinis.
Cœleſtium inuictiſſimus
Rector Iacobeos amans
Verus tuetur nos Deus.
Huc magni adeſte principes,
Adeſte, contemplamini
Opus meum, (inquit rex Deûm)
Quod plus ſatis mirabile eſt.
Terrarum ad vltimas ego
Oras mea pugnans manu
Munita caſtella omnia
Sic cepi, vt omnes pareant
Gentes mihi inuictiſſimo.
Nam ſuſtuli bella omnia,
Confregi & arcum, & ſpicula,
Dedi quadrigas ignibus.
Acto triumpho è regibus,
Cunctiſque nationibus,
Quas Sol peragrans ætheris
Oras videt, dum ſe rotat.
Pax, otium, tranquillitas

Orbi

Orbi vniuerſo à me data eſt.
Quare meam gentem duces,
Regeſq́; mortales mihi
Vexare iam deſiſtite:
Meq́; eſſe numen præpotens,
Verum Deum cognoſcite
Ex ijs, quæ ab Indo ad vltimum
Littus Britanni geſſerim,
Tot bella victor omnium
Regum, ducum, atque principum:
Numenq́; & ipſi ſupplices
Verendum adoretis meum.
Cœleſtium inuictiſſimus
Rector Iacobeos amans
Verus tuetur nos Deus.

ARGVM. PSAL. XLVII.

Poſt prælia, & victoriam partam chorus
Apoſtolorum hortatur ad plauſum, & Deo
Grates agendas nationes maximo.

PSAL. XLVII. SPINVLAE.

GEntes, & orbis incolæ
Omnes ouantes, plaudite,
Gaudeteq́;, & lætiſſimis
Deo ſonate cantibus.
Summa illa proles vnica
Summi patris rex magnus, &
Mirabilis terris Deo
Creatus eſt his omnibus.
Qui nationes ſubijcit

Noſtræ poteſtati, & pias
Gentes religioni ſacræ,
Falſos quæ adorabant deos.
Qui elegit Iacobi ſui,
Quem diligit, è poſteris
Omnes bonos nobis, quaſi
Pro hæreditate, & prædio.
Qui rex triumphans de hoſtibus
Aſcendit ingens ad polos
Ouantibus cæleſtibus,
Cauas tubas inſlantibus.
Adeſte, proſequamini
Clamoribus fauſtiſsimis
Eius triumphum, omnes pij,
Congratulantes numini,
Congratulantes &, duci,
Hac de ipſius victoria
Cantate virtutem illius,
Cantate facta inſignia:
Cantate eum, per quem illius
Regnum tyranni funditus
Eſt erutum: is totas reget
Terras. & humanum genus.
Hoſtilis eſt euerſa vis.
Huic nationes totius
Nunc ſeruient orbis, ſacro
Throno inſidenti, iugiter.
Hic laureatos imperi
Faſces tenet, hic tempora

Auri

Auricoronis impedit,
Regna occupauit omnia.
Huic gentium primarij
Se dediderunt principi
Deo Abrahami, ac illius
Iuſſa hi faceſſunt omnia,
Vt qui orbis eſſe totius
Penes eum imperium vident
Regem omnium regum, timet
Quem terra, Olympus, & mare.

ARGVM. PSAL. XLVIII.

Poſt prælia, & victoriam partam Deo
Iam ciuitas grates agit ſanctiſsima,
Narrans, beata quàm ſit illa natio,
Summo Deum quę ſe patri commiſerit.

PSAL. XLVIII. SPINVLAE.

AB ijs celebretur pater ſummus Deûm,
Clemens, benignus, optimus,
Qui ciuitatem ipſius habitant, quæ ſita eſt
In monte ſacro numinis.
Qui mons? Sion: hic ciuitati eſt proximus
Septentrionali ad latus
Muri: quæ vti decora nympha veſtibus
Pictis nitet, grata omnibus,
Sola vrbium decus, voluptas totius
Ingentis orbis maxima:
Vbi Deus ſic notus eſt, vt qui duces
Inferre bellum ciuibus
Illius auſi ſunt, patrem ipſum ſenſerint
Vrbis tueri mœnia.

Nam

Nam fortè cùm reges ad vrbem hanc barbarī
Demoliendam copijs
Se contuliſſent plurimis, vbi Deum
Diſcrimine horum maximo
Vidêre propugnare pro illa, non minus
Terrore ſunt capti illico,
Formidine, & dolore, quàm mulier ſolet,
Cùm liberos partu dare
Cruciatibus miſella diris cogitur.
Quales minas cœli, & maris,
Tharſenſium Eurus cùm ferit puppes, ſolent
Vdi timere nauitæ,
Pauêre iniqui principes, cùm rex Deûm
Deleret horum exercitus,
Queis vndequaq; præpotentis numinis
Hanc ciuitatem obſederant.
Quocirca, vti frequentur ipſi accepimus,
Et vidimus noſtris pater
Supreme ocellis te vrbis huius mittere
Cunctis ſalutem ciuibus:
Quòd ipſe eam ſic condidiſti, vt hanc velis
Tibi manere iugiter.
Quapropter & nos vniuerſi patriæ
Fines amatæ liquimus,
Confugimuſq; in hanc, tutela vt optime
Eſſemus in tua pater:
Vbi, anteà qui eramus anxij, in tua
Pietate conquieſcimus.
Oramus in fano ſacro hoc numen tuum,

Beni-

Benignitatis iſtius
Vt eſſe conſors & genus noſtrum velis:
Quò, fama vt vltimas tui
Terrarum ad oras nuntiauit nominis
Te vrbem ſacram defendere,
Ita omnibus ſummæ celebrentur locis
Laudes tuæ clementiæ,
Quò, ſicut omnes inquiunt iuſtiſſimum,
Eſſe optimum te prædicent:
Quò non minus lætemur & nos, quàm ſacer
Hic mons Sion, & omnis vrbs
Gauiſa Iudææ eſt, eam ſententiam
Cùm pro tribunali ſedens
In principes omnes tuliſti, qui tuam
Vrbem volebant perditam,
Illos vt increpueris, atq; copias
Truces eorum fuderis.
Sed ô ſacratæ ciuitatis conuenæ
Iſtum Sionem oro ſimul
Circundate, vrbis alta contemplamini
Et mœnia, & turres, domos,
Pallatia, arces, atq; propugnacula:
Felicitatem vt ipſius,
Laudeſq; commendetis omnium piæ
Sic poſteræ memoriæ,
Vt numen hoc verum eſſe cognoſcant ſuum,
Et deſerant falſos deos,
Ac ſeruiant iſti, Deus qui noſter eſt,
Qui nos gubernabit, reget,

Curabit, ac defendet, ac tuebitur
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL. XLIX.

Hortatur ad temnendum honorem, argentum, opes
Nos, ad colendum æquum, eſſe quàm ſtultiſsimos
Mortalium oſtendens, bonis qui his ſeruiunt.

PSAL. XLIX. SPINVLAE.

O Nationes, ô viri
Ingentis orbis incolæ,
O ſummi, & imi, pauperes,
Et diuites, hæc obſecro
Audite, quæ ſub pectore
Prudenter ipſe diutius
Euolui, & erumpunt modò
Sapientiæ pleniſsima.
Sed hæc quid audite inquio?
Hæc audiamus debui
Referre: nam grauiſsimis,
Quas eloquar, ſententijs,
Verſuq́, difficillimo
His, qui minus deſeruiunt
Summo patri, non vos magis,
Quàm me admonebo, & arguam.
Quapropter à me exordiar.
Quid ipſe tanta amentia
Laborem, vti committere
Pecuniæ cauſa velim,
Vt cùm dies mortalibus
Formidoloſus venerit,

Quo iudicabit totius
Orbis furens de gentibus
Numen, timendum ſit mihi?
Quid, inquam, opes vt congeram,
Dolo, atq; fraude me implicem?
Audite, qui potentia,
Opumq; magnitudine,
Auroq; gloriamini.
Æternitatem vitæ homo
Vi nullus hic pecuniæ
Magna ſibi, aut ſperet ſuis
Se comparaturum iſtius?
Cùm cernat & bonos mori,
Sapientiæq; deditos.
Fatum eſt ineuitabile.
Omnino cunctis pallidæ
Calcanda mortis eſt via,
Linquendæ & alijs ſunt opes,
Quanquam putent ſtultiſſimi,
Tanto labore quas ſtruunt,
Sibi fore æternas domos
Cum gloria, atq; illuſtrium
Fama ſuorum nominum.
Verùm profectò maximè
Falluntur hi, cum ipſis ſimul
Necnon ſuperbis ædibus
Et nomen occidet ſuum.
Honore dignitatibus
Homunculis hic non datur,

Ægris frui diutius.
Extinguit illos ſic potens
Cæleſtium rex, & pater,
Vt beſtijs expertibus
Rationis hac in re pares,
Fiantq́ conſortes feris.
Huc adde, quòd dementiam
Horum videntes filij
Patrum minus periculo
Sapiunt, ſed illorum ſtudent
Facta æmulari, & incidunt
In fraudem eandem, & in mala.
Quales enim duram ad necem
Oues ſolent à furibus.
Lupiſúe raptari, fera
A morte ad exitum iſtius
Vitæ vocantur diuites,
Et arrogantes liberi:
Quos deijcit fatum ſtatim
Acerbum ad ima tartara,
Et ſempiternas hîc luent
Pœnas ſuorum criminum.
At cùm dies illuxerit,
Quo omnis reuiuiſcet pius,
Tunc imperabit diuiti
Miſerrimo quiſq; optimus,
Qui nunc ab illo temnitur.
Quare impiorum gloria,
Et vis peribit: ædibus

Ab aureis vbi domos
Orci nigras ſubiuerint,
Vices ſuperbas ſentient.
At tempore optatiſſimo,
Ab inferis quo omnem Deus
Pium excitabit maximus
Vitam ad beatam, me quoque
Tum vindicabit à loco
Tetro in perennem gloriam, &
Felicitatem cœlitum.
Quapropter ô vir integer,
Qui cum fide, pietateq́;
Vitam colis, numenq́; amas,
Ne quæſo turbare, impium
Cùm videris fugacibus
His commodis, pecunia,
Honore florentem. hic enim
Bonis breui fallacibus
Cunctis miſer ſpoliabitur,
Nuduſq́;, egenſq́; ad inferos
Trudetur, & perennibus
Cruciatibus torquebitur:
Quòd vixit hîc ſuauiter,
Prorſum nihil cupidini,
Genioq́; denegans ſuo,
Ad hanc adhortatus alios
Intemperantiam ſuam.
Quare execrare, qui graue
Per crimen æquum agunt ſuum,

Omniq́, vita tempore,
Ac temne, commendare qui
Teipſum ſolent, ſi ſeruias
Libidini teterrimæ,
Tibiq́, (vt aiunt) conſulas.
Ergo omnis aggregabitur
Diues auarus ad ſuos,
Quos æmulatus eſt, patres:
Vt quorum amauit iugiter
Intemperantiam ſequi
In vita, eorum ſupplicí
Sit particeps ad inferos.
Homo quòd impurus ſine
Prudentia, pietateq́,
Amplas opes habebat hîc,
Vt beſtiæ, extinctus, ſtatim
Priuatur omnibus bonis.

ARGVM. PSAL. L.

Legem vetuſtam præcinit ſummo à patre,
Ritusq́; neglectum iri, & à Chriſto datum
Cultum Dei præſtantiorem orbi fore.

PSAL. L. SPINVLAE.

DEus Deûm, iudexq́, iudicum breui
Gentem vniuerſam, quæ colit
Iſtaſ ab ortu Solis omnes aurei
Terras ad occaſum, exciet:
Hinc prodiens ex vrbe pulchra, quam ſibi
Montem ad Sionem condidit,
Gentes vocatas alloquetur protinus

De ſanctione fœderis,
Vt à vetuſtis legibus quondam datis,
Priſciſq; cæremonijs
Eas pius traducat ad cultum ſui
Præſtantiorem numinis.
Sed vniuerſis eſt cauendum ne Dei
Temnant verendi oracula:
Habebit in promptu, ſuis quos inferat
Ignes auaros hoſtibus:
Et magna tempeſtas malorum cum illo erit,
Quam hic in rebelles excitet.
Terram, & locuturus polos teſtes ſibi
Rex aduocabit illico.
Aſtantibus dicet beatis mentibus,
Excite vos omnes pios,
Eos, quibuſcum fœdus eſt ictum mihi
Quondam ſacrorum numinis.
Ipſiq; teſtabuntur illum cœlites
Æquiſsimum eſſe iudicem:
Dicta exequentur: exciti venient boni,
Atq; edet iſta rex Deûm:
Gens ô mea audias Hebræa me (Deus
Potens ſum ego, & numen tuum)
Et admonitiones meas, præceptaq;,
Queis erudire te volo.
Non has ego accuſationes inſtruo,
Vt negligentia ſacri
Nunc increpare te velim, quando quidem
Nunquam mihi intermittis hoc.

 Sed

Sed aliud eſt, meo quod ignotum tibi
Magis probatur numini.
Hirci, atq; tauri à me immolatio tua,
Et hoſtiæ iſtiuſmodi
Flocci æſtimantur, queis putaſti me omnia
Debere mactatis tibi:
Nil curo, habe tuos greges, iumentaq;
Tibi domi in præſepibus:
Quæ cuncta tradidi pater vobis ego,
Vt is, feræ & cuius boues
Sunt vniuerſi, & beſtiæ, ſylueſtria
Malunt habere quæ loca,
Et alites, quæ errant in iſtis montibus,
Et quæ mare, & tellus alit
Ignota mundo ex parte magna animantia:
Quibus ſi opus foret mihi
Rerum omnium autori, an tibi quæſo meam
Neceßitatem exponerem?
Non iſta per me ſumerem Deus mihi?
Quando orbis ingens eſt meus,
Ac vniuerſa quæ ſinu complectitur.
Sed ecquis è vobis ea
Dementia laborat, vt numen putet
Vel ſanguinem hircorum nigrum
Potare, vel comeſſe carnem, vt vos, bouis?
At quod mihi tandem volo
Gratißimum in primis ſacrum à mortalibus
Et victimam offerri Deo?
Accepta mactetis mihi laudis ſacra,

Pieq́, numini meo,
Sanćteq́, gratulamini de maximis
Donis meis quotidie.
Deinceps Deo *perſolue ſacrum huiuſmodi*
Votumq́ue, quod debes ei:
Rebuſq́, me aduerſis tibi vſque ſenties
Præſentem, & vltorem omnium
Iniuriarum, rurſus vt gratus Deo
Hanc hoſtiam immoles mihi.
Ad impium hinc conuerſus inquit cœlitum
Rex tactus iracundia:
Non negligentia ſacrorum te argui
Quidem, ſed eſt hoc attamen,
Quo te increpem admodum arrogans, & impie:
Quòd arbitratus iſtius
Oblatione victimæ teipſum ſatis
Feciſſe numini meo,
Integritatem mentis, atq́, vim ipſius
Virtutis aſpernatus es,
Et æquus oſtentatione iugiter,
Non re fuiſti ciuibus.
Nonne inſtitutis de meis, & legibus,
Ac fœdere audes eloqui?
Cùm mente complecti haud velis iuſſum meum.
Deiq́, dicta perſequi,
Nec te bonis adiungere, at teterrimis
Adulteris & furibus,
Quorum arbitratu cuncta agis. ſed qualia
Ad hæc ſtudia amas obſecro?

Laxas procaci linguæ habenas, & tuis
Frenum labris non inijcis.
Sceluſq; delectaris artibus malis,
Vitijs, dolis, & fraudibus:
Placentq; voculæ tibi: atq; proximo,
Et detrahis fratri tuo.
Addes, quòd iſtis dum in tot, & tantis malis
Grauiſſimis conniueo,
Si fortè quà redeas ſalutis in viam,
Deum putas tibi parem,
Vel me latêre crimen, ac ſcelus tuum,
Vel numini iſtud & meo
Piaculum placere ſic tuum, à me vti
Impunitas detur tibi.
Erras, redargueris, ac damnaberis
Conuictus in tot noxijs.
Quapropter aduerte vniuerſa hæc obſecro,
Cui numen excidit meum,
Ne fatum ineluctabile ad necem trahat
Te iuſtam, ad æternas vices.
Sed gratiarum ſi actionis mi ſacrum
Mactare gratum ſtudueris,
Priſcis boum omiſſis, & agnorum hoſtijs,
Acceptus hic honos meo
Sic numini verendo erit, vitæ vt viam
Illum ſim in occultam illico
Ducturus, hanc quæ in fert domum, quò non ferum
Lethum, nec aſpirat dolor.

ARGVM. PSAL. LI.

Nathanus vt vates ducem ipſum Dauidem
Vxore de Vriæ arguit rapta, hic gemens
Precatus eſt his vocibus patrem Deum.

PSAL. LI. SPINVLAE.

PRo maxima benignitate, pro tua
Noſtrum in genus clementia,
Miſerere iam mei rogo, & Deûm ſator
Commiſſa deleas mea.
Magis, magiſque oro expia quod ſentio
Crimen meum eſſe pergraue,
Reddens tibi me candidum, qui ſum, vt vides,
Satis, ſuperque ſordidus.
Scelus mihi obuerſatur ante lumina,
Nefaſq́, vitam quo meam
Contaminaui, almoſque ſenſus numinis
Offendere auſus ſum tui.
In te mihi peccaſſe quàm dolet, precor
Seruo (vt recepiſti) tuo
Iam pro tua æquitate præſentiſſimus
Omnem remitte noxiam:
Conceptione quando in ipſa iſtam mihi
Procliuitatem ad crimina
Contraxi, ad vniuerſa quæ impellit mala,
Niſi ipſe me corrobores:
Quare cupidini inſitæ morem gerens
Vitæ meæ innocentiam
Heu perdidi, quam ſic amabas, vt tuæ
Sapientiæ myſteria,

Vitæque monſtrares viam mibi: tuo
At ipſe amori gratiam
Hanc rettuli, anteferrem vt ingratiſsimus
Illi voluptatem breuem.
Sed expia rorante ſparſo ſanguine
Agni ſacri hyſſopo ſcelus
Meum, niues albas vt ipſe candidus
Vincam, vt triumphem gaudio,
Vt læter: omnes cuius ipſe artus diu
Hos ſauciaſti verbere.
Auerte cogitationem oro tuam
A noxia mea pater:
Obliuione deleas crimen meum:
Animique puritatem eam
Impertias mihi, nihil per quam niſi
Rectumq́, honeſtumq́ expetam.
Ne me exigas furore ſæuiens, mihi
Ne ſpiritum cæli auferas.
Quin me fouens, rurſum priori gaudio
Tuæ ſalutis affice:
Vt ipſe paream tuæ legi, ſtudens
Virtuti, & impijs viam
Monſtrem ſalutis, aureamq́ ſemitam
Vitæ piæ, quam neſciunt.
Peccata condona, & ſcelus teterrimum
Mihi Deus ſalus mea:
Vt non queam beneficij tanti memor
Satiari agendis gratijs,
Vt æquitatem & laudibus tuam efferam

Benignitatem iugiter,
Qui conſcius culpæ meæ non audeo
Tuis loqui de legibus,
Quapropter os pande ô Deus *meum, & piè*
Laudes celebrabo tuas.
Si iudicaſſes me piaculum pater,
Et hoſtias reſoluere,
Tibi litaſſem: at victimæ quibus Dei
Placatur iracundia,
Eſt vera pœnitentia, & iugis dolor
Piaculi, atq; criminis.
Ad hoc ſcelus ne ciuitati obſit meum:
Quare Sionem reſpice,
Ad quem ſacra Vrbs eſt condita: huius extrue,
Et mœnia abſolue obſecro.
Sic victimam litabimus tibi Deus*,*
Sic offerentur munera,
Gratumq; iuſtitiæ ſacrum mactabimus,
Et ara fumabit tua.

ARGVM. PSAL. LII.

Hæc in Dœgum dixit immaniſsimum,
Nefariumq́;, comparans ſtudia impij
Mortalis, ac viri boni contraria.

PSAL. LII. SPINVLAE.

QVidnam potens homuntio
Sic gloriaris dij boni
Piaculis nefarijs,
Quæ pro tua libidine
Bonum edis impunè in virum?

De

De his tu quidem iactare te
Pergis, ſed ipſi de patris
Nos maximi iactabimus
Benignitate, qua vtitur
Vſque in viros innoxios:
In quos acuta immittere
Linguæ nocentis, ſubdolæ
Conare tela iugiter.
Quales aberrare à coma
Flauente ſæpe vidimus
Tondentium nouaculas,
Sectaque pelle protinus
Nigrum emicare ſanguinem,
Quæ debuit nequam omnibus
Prodeſſe, delirans tua
Lingua innocentes vulnerat.
Feruentem eam nimio mero
Fraudator, vt bonum eruas,
A verò, honeſto, & vtili,
Et denique à modeſtia
Ad vanitatem, & turpia
Diuertis, atque noxia,
Necnon ad arrogantiam.
Quapropter, vt pomus ſolet
Vmbroſa, nullum vnquam ferens
Cultoribus fructum, erui
A villico, te etiam potens
Rector Deûm radicitus
Euellet à pomario

Suo,

Suo, atque tradet ignibus.
Quod is, volebas quem erutum,
Bonus perenni gaudio
Fruens, ſtupebit, & animo
Capiet voluptatem, videns
Innoxium te ſanguinem
Pœna luentem acerrima:
Studiaq́ue deridens tua,
Eccum, inquiet, virum decus
Mortalium, qui temnere
Eſt numen auſus præpotens:
Qui ſic locauit ſpem ſuam
Opum ſuarum in copia,
Vt arbitratus ſit fore
Satis, ſuperq́, per ſe eas,
Summo abſque patre robori
Vitæ ſuæ iniuſtiſsimus:
Qui fretus omnino ſua
Prudentia, & ſapientia,
Ne prauitate, amentia
Dicam, pependit ex ſuo
Auro, atque tantùm viribus.
At ipſe, oliua vti virens
Amœna propter flumina,
Aura beata perfluens
Mittens feraces ramulos
Ingenti onuſtos fructuum
Gratiſsimorum copia,
Florebo, quòd neruis meis

Non

Non fido, ſed clementia
Solùm perenni numinis.
Quare beate cœlitum
Rex, autor iſtius rei,
Grates ago ingentes tibi,
Agamque dum viuam: tuum
Et continenter laudibus
Nomen feram almum ad æthera:
Tuoq; figam in nomine,
Et collocabo ſpem meam,
Quòd, vt vocaris, es pater
Amabilis, præſens, pius.

ARGVM. PSAL. LIII.

Hymno hoc Dei in temptorem, & innocentiam
Hic deprimentem inuehitur, ac ipſum bonis
Mox pollicentem opem ſuam inducit Deum.

PSAL. LIII. SPINVLÆ.

NVmen Dei quid eſſe commentitium
Inſanus à vero putat,
Auerſus, eſt cui læua mens, & impia?
Quò liberius amens ſine
Formidine æterni Deorum ſupplici
Deſeruiat libidini.
Quid verò in hanc opinionem, quam putant
Vel nationes barbaræ
Ita execrandam, vt vindicent pœna graui,
Induxit illum protinus?
Quid? turpitudo vitæ, & affectus mali.
Quò ſe malæ cupidini

In

In ſeruitutem dedidere, & perditis
Hîc vniuerſi moribus.
Hos ergo colluſtrauit è cœlo ſua
Acie pater cœleſtium,
Si quem videret in grege hoc mortalium
Intelligentem numinis,
Veriq́; ſtudioſum: quibus mentem, atque vim
Intelligendi ad hoc dedit.
Inaniter ſed ille deſpexit poli
E ſempiternis ædibus.
A dignitate enim ſua defecerant
Omnes, & à cultu Dei,
Omnes ad vnum imbuti erant teterrimis
Vitijs, & artibus malis.
Quapropter almus ille rector ætheris
Incenſus ira maxima,
Profectò, ait, qui prædicant numen meum
Omnino non exiſtere,
Et hac opinione freti crimine
Omni ſuam vitam inquinant,
Gentemq́; corrumpunt meam exemplo ſuo,
Truceſq́; eam, ſicut lupi,
Eiuſq́; fortunas ſtudent cupidine
Vorare non explebili,
Hi ſentient magno ſuo diſcrimine
Vimque, & poteſtatem meam:
Quem non colunt, ſed numinis loco ſuas
Libidines, potentiam,
Opes, honores, arrogantiam colunt.

Quin me colentes iugiter
Crudelitate perſequuntur maxima.
Sed quæ vices manent eos?
Et quanta ſupplicia mihi pendent? ego
Iſtis locum ipſe præparo,
In quem locum furore deiecti meo,
In his erunt cruciatibus,
Vt nulla reſpirandi eis futura ſit
Vnquam poteſtas, vſq; ſed
Frangentur ærumnis, & horreſcent noui
Noua mali formidine.
Plectentur hac pœna vniuerſi, ô gens mea,
Qui te inſequuntur, impij,
Qui ſe in tuam exercent necem, qui te obſident,
Tuis ſtudent qui incommodis.
Potens enim odit rex Deûm *hos, quæ audent tibi*
Negotium faceſſere.
Sed nos vt Iſraëlis electum genus
Deus è Sione, quem colit,
Et reſpiciat, & liberet clementia,
Ac lenitate pro ſua.
Aſperrimum quò ſeruitutis barbaræ
Collo hoc repellamus iugum.
Quod ominor, continget: à tyrannide
Iam vindicabit nos Deus:
Iam recreabit, iam fouebit, & citò
Reducet in primas domos:
Vbi fruamur ſemper & dulci otio,
Et pace candidiſſima.

ARGVM. PSAL. LIIII.

Venere Ziphæi ad Ducem Saulem, atq; ei
Dixere ſæui Dauidem latere apud
Ipſos, at is ita Deum precatus eſt pium.

PSAL. LIIII. SPINVLAE.

QVando, vt vocaris, es bonus,
Clemenſque, ſerua me DEVS,
Vim vi repelle à me rogo,
Et me tuêre ab impijs.
Cauſæque deſertæ meæ,
Omnino qui ex te pendeo,
Pater benigne, ſuſcipe
Tandem patrocinium obſecro.
Precationem audi meam,
Dexterque vocibus pater
Benignitate pro tua
Aures pias accommoda.
Nam territus nullo improbus
Timore iuſtitiæ tuæ
Hoſtis volens me perditum
Telis ſuis in me irruit.
Sed gaudeas, mens ô mea,
En fert opem tibi DEVS,
Vitamq́, defendit meam
Contra hoſtis efferi impetum.
Quæ machinatus eſt mihi
Mala, atque vim aduerſarius,
Mala, atque vim hanc in ipſius
Conuertet exitium pater.

Sic perge pro tua precor,
Cœleſtium rector, fide
Euertere illum funditus,
Qui me ſtudebat perdere:
Vt hoſtias mactem tibi,
Et vltro clementiſsimi
Sublime, tu quàm dignus es,
Nomen tuum feram ad polos:
Quòd vindicaueris pius,
Leniſque ſupplicem omnibus
A rebus aduerſis tuum
In otium optatiſsimum,
Quòd tutus in portu auſpice
Te nauigârim, quòd mea
Acie meorum viderim
Vices ſuperbas hoſtium.

ARGVM. PSAL. LV.

Tutum eſſe nuſquam ſe queritur, & maximè
Se proditum gemit viro à domeſtico.

PSAL. LV. SPINVLAE.

AVdi precem meam Deus, *ne te meæ*
Orationi ſubtrahe:
Pater beate reſpice ad ſuſpiria,
Meaſq; voces, prodeunt
Quæ ex eſtuanti pectore, heu conſiſtere
Vexatus haud poſſum in prece.
Præ hoſtium crudelium crudelibus
Minis, & impetu fero:
Quandoquidem per hos onuſtus crimine

Non

Non vero in inuidiam vocor,
Quandoquidem aduerſantur impiè mihi,
In me & furentes ſæuiunt.
En correformidat meum, atque pallidæ
Me terror inuadit necis,
Ita anxifer metus, timorq́ me tenet,
Vt ſic mihi æſtuans loquar,
Vtinam mihi eſſent alitum pennæ, quibus
Poſſem euolare longius:
Certè procul diſcederem tuta in loca,
Lataſq́ ſolitudines,
Et ocyus vento, atque turbine hoſtium
Euaderem vim, & impetum.
Sed oro in hunc dum conſilia captant feri
Hoſtes Deus, *fac varietas*
Sit inter hos linguarum, vt alter alterum
Intelligere minus queat,
Vti accidit Babelis ad turrim arduam.
Crudelitas, diſcordia,
Crimen, ſcelus, fraus, & dolus cum fœnore,
Et nequitia, & oppreßio
Non mœnia horum ciuitatis, ac domos
Omneſque vicos incolunt
Nocte, & die? queis impius ſeruum tuum
Non ceſſat vnquam perſequi.
Eheu mihi minora ſunt hæc attamen,
Quæ machinatur barbarus
In me hoſtis, æquo ſunt ferenda animo mihi,
Vt facta ab aduerſario,

Cauere quem poſſum: ipſius domeſtici
Commilitonis, & mei
Iucundi amici proditio mihi quidem
Eſt omnium grauiſsima,
Quicum domo verſatus in ſacra fui
Suauiter, cui credidi
Arcana coniunctiſsimo lubens mea.
Huiuſmodi mors deuoret
Vel terra hians abſorbeat viuos, ſtatim
Mittens ad ima tartara:
Quando merum omnes inter illos & ſcelus,
Et vſque iniquitas agit
Domi ſuæ, exegere virtutem auream.
Qui cùm impiè exhibeant mihi
Negotium, mane, & meridie pia
Deum fatigabo prece,
Ac veſperi gemens: & audiet meam
Vocem, eruetq́, ab hoſtibus:
Vitam meam tuebitur circundati
A multitudine effera.
Maiori erit curæ hoc Deo *ſalus mea,*
Quò me impij plures petent:
Sine fine qui regnat pater cœleſtium,
Aurem mihi ſuam applicans,
Delebit hos inquitati ita deditos,
Vt nulla ſpes ſententiæ
Horum ſit immutandæ, eoſq́, dextera
Vltrice puniet, Deum
Qui negligunt, qui ipſi prius cariſsimi

Erant,

Erant, fidem quàm ſoluerent.
Huiuſmodi mortalibus blanda eſt quidem
Oratio, at ſub pectore
Cælantur odia aſperrima, & fraus, & doli:
Butyro, & oleo mollior
Eſt ſermo eis, cùm bellum, & arma præparant.
Queis callidè petant bonos,
Sed quid vereris? vniuerſas in Dei
Sinum tuas deponito
Curas, moleſtias: & ipſi te, & tua
Committe præſentiſſimo:
Quod diligens ſi feceris, animum tuum
Sic roborabit, fulciet,
Vt nulla depulſura te vis hoſtium
Sit de gradu conſtantiæ:
Qui nunquam ab impijs furentibus ſinet
Cædi, vel opprimi bonos,
Qui innoxios ſeruat pater diu, & ſouet.
Sonteſque ſtygio pallidi
Maturat Orci mergere fluuio citus.
Cùm floret improbus magis,
Vocatur ad vitæ exitum: quare meam
Deinceps locabo ſpem in Deo.

ARGVM. PSAL. LVI.

In maximo periculo implorat Dei
Opem, querens iniuriam Saulis feri,
Ac eius aſſeclarum, & hinc clementia
Seſe Dei ſolatur hoc poëmate.

PSAL. LVI. SPINVLAE.

MIſerere iam mei Deus,
Me vexat hoſtis acriter,
Oppugnat, angit, verberat,
Et continenter opprimit.
Periculoſo hoc tempore,
Quo me inſequuntur plurimi
Et vi petunt ſumma, meus
Animus tua ſpe nititur.
Fretus Dei, *quibus manet,*
Dictis, nihil formido vim
Nec impetum in me ſæuius
Mortalium incurrentium:
Hi facta, dictaq; omnia,
Et conſilia mea improbant:
Suiſque machinantur in
Me cogitationibus,
Quas vniuerſas hos vides
Conferre perniciem in meam:
In me ecce coniurant, ſimul
Veſtigia obſeruant mea,
Vt comprehendant me, & necent:
Quò nil eis optatius.
Quapropter excinde hos Deus
Magno furore percitus.
His quando perfugium omnibus,
Portuſque nequitia eſt mera:
Summamq; vim, atq; maximum
Numen tuum contemptum habent:
Et inſequuntur iugiter

Ser-

Seruum tuum atq; ſauciant.
Quapropter illorum fuga
Vitare cogor impetum.
Non tu meum exilium Deus,
Non pergraues anguſtias
Noſti? quouſque perferam
Tot, tantaq; ô pater mala?
Quare meas iam lacrimas,
Luctus recorderis meos.
Acerbitas tibi excidit,
Queſtuſq; ſupplicis tui?
Sed illud eſt per te mihi
Signum ad ſalutem, quòd tuum
Fatigo cùm numen prece,
Mox terga dant hoſtes mei.
Fretus Dei, quibus manet,
Dictis, nihil formido vim,
Nec impetum in me ſæuius
Mortalium incurrentium.
Quò vota perſoluam, tibi
Quæ nuncupaui, hoc eſt, tuo
Agam verendi numini
Quotidianas gratias:
Quòd me benignus vindicas
Periculis ab omnibus,
Quòd mortis extremæ eripis
Me fauce ab immaniſſima:
Vt te aſſecutus auſpice
Vitam, & ſalutem, qui mihi

Præſens es in pugna, colam
Virtutem, & innocentiam:
Vt paream legi tuæ:
Ita vt geram me iugiter,
Cunctis quaſi interſis meis
Verbis, & actionibus.

ARGVM. PSAL. LVII.

Opem Dei implorare pergit, hinc, ducis
Quòd Saulis à ſęui manibus euaſerat,
Grates agit ſummo patri cœleſtium.

PSAL. LVII. SPINVLAE.

MIſerere iam mei Deus,
Miſerere quæſo, cui mea
Spes nititur: pullos auis
Sicut tuetur, me foue:
Donec ſcelus pertranſeat
Iſte, obſecro, tu me tege.
Imploro te, qui perficis
Mihi benignè, quæ precor.
Iam mitte Olympo, qui meam
Vicem dolens, eius petat,
Qui triſtibus furijs ruit
In me actus infamis, caput:
Iam pro tua clementia,
Fideq́, vindica me ab hoc,
Qui, ceu leo, vitam appetit
Hians meam, atque ſanguinem.
A vocibus mortalium
Me liberes, qui vt ſpicula,

Fer-

Ferrumq́, corda tranſigunt,
Et continenter ſauciant.
Sed cui dabis partes ſcelus
Horum expiandi ſanguine?
Tu, tu polo veni pater,
Genus tuum ſi reſpicis:
Veni, veni, atq́, vim tuam
Declara in impios Deus
Supreme, vt in terris tua
Dilatet his ſe gloria.
Quæ eſt vis mihi intentata ab his,
Suum in redundauit caput:
In me quæ agebat mens mala hos,
Eſt verſa in exitium ſuum.
Quare parata eſt mens mea
Deus, parata eſt mens mea
Cantare te, atque pſallere,
Et tendere vſque barbiton.
Ipſe excitabo roſcidam
Prænuntiam Solis chely,
Citharaq́, bigis non ea
Me ſuſcitabit impigrum.
Te in concione, & gentium
Frequentia ſemper canens
Laudabo: ſunt plena, omnia
Quæ agis, fide & clementia.
Sed cui dabis partes ſcelus
Horum expiandi ſanguine?
Tu, tu polo veni pater,

Genus

Genus tuum ſi reſpicis:
Veni, veni, atque vim tuam
Declara in impios Deus
Sepreme, vt in terris tua
Dilatet his ſe gloria.

ARGVM. PSAL. LVIII.

In Saulem iniquum, eiuſq; cōnſiliarios
Effundit hæc, ſui Deo piaculi
Quos præcinit pœnas daturos pergraues.

PSAL. LVIII. SPINVLAE.

AN iudices, primarij
Regiſque conſiliarij,
Qui debuiſtis illius
Retrahere mentem à crimine,
Suadetis æqua principi?
Qui nil loqui poteſtis, &
Putare, quod non ſit malum,
Qui raptui eſtis dediti.
Sed oro quid mirum eſt ita
Hos nequiter nunc degere,
Ipſis qui ab incunabilis
Ad vanitatis ſemitas,
Mortiſq; aberrarunt viam?
Nam continenter in bonum,
Ac iuſtum, vt anguem, eos agit
Effrenus, ac præceps furor.
Quòd ſi quis hos piè admonet,
Sic veritati claudere
Aurem ſolent, vt effera

Aſpis

Aſpis, ſonum quæ ad Teſſalum
Obturat ex cantata mox
Aurem ſibi, vel carmina
Scientioris omnia
Canidiæ, & artes negligens
Veiæ ipſius, & Iberiæ.
Hos perde rector cœlitum,
Qui belluarum immanium
Inſtar ſalutem, & ſanguinem
Meum appetunt hiantibus
In me ruentes faucibus.
Vt diſperit aqua, vbi ſpargitur
Ardente Sole humi, impij
Iſti occidant rogo ocyus:
Quin & ſcopon, quò dirigunt
Vi tela, non vnquam petant:
Fruſtra laborent, ſit rogo
Conatus omnis irritus.
Limacis vt breuiſsima
Vita, & dies miſerrimi
Partus abortiui, aureas
Cui Solis ignei comas
Fato videre non datur,
Ita occidant hoſtes mei.
Certantis Auſtri vt impetus
Poma aſſolet diuellere
Incocta onuſta ab arbore,
Tu ſic ducem illorum, atque eos
Detrude ad Orcum fulmine.

Quod ſi beate feceris
Pater, bonus lætabitur
Pœnas videns nequiſsimis
Sumi à Deo de ſontibus,
Atq; hinc videns quàm plurimos
Vitia relinquere, & tuis
Parêre legibus ſacris:
Gaudebit, atque geſtiet
Vltra modum quiſque optimus
Mortalium audiens genus
Referre voce talia:
Certè manent duræ improbum
Vices, bonos & præmia:
Eſt ergo credendum patrem
Summum eſſe cœlitum ducem
Qui curet hæc mortalia.

ARGVM. PSAL. LIX.

Rex impius cuſtodiens vatis domum, hunc
Volebat interficere: quare cœlitum
Parentis auxilium ſibi obſecrat dari.

PSAL. LIX. SPINVLAE.

COeleſtium parens benigne, ab hoſtibus,
Qui in me ruunt, ſæuiſsimis
Ac barbaris, quos conuenire conſpicis
Seruum in tuum, me libera:
Me vindica à mortalibus nequiſsimis:
Ab ijs, quibus cordi eſt ſcelus,
Viriſq; ſanguineis tuere me Deus.
En vndequaque me obſident

For-

Fortiſsimi aduerſarij: non crimine,
Errore, peccato, neque
Vitio meo concurrere in me præparant.
Age obuiam te conferas
O præpotens rerum omnium pater mihi,
Me quæſo tandem reſpice.
O gentis huius noſtræ, & omnium Deus
Mortalium, qui pro tua
Benignitate impunitatem ſæpius
Longam ſoles mortalibus
Concedere, intendas precor animum ad tuæ
Seueritatis vim in malos
Ocyſsimè exercendam, ad iſtos improbos
Tuo necandos fulmine.
Conſidera horum quanta ſit crudelium
Rabies, & importunitas:
Statimque eos ſic punias, vt eneces
Omnes miſertus nullius.
De nocte ſic domum efferi obſident meam,
Vt ſæpe, ſæpiuſq; eant
Vicos per vrbis vniuerſos totius,
Paſsim videntes ſi offeram
Me aſpectui illorum. citi vt canes ſolent
Per meſſem agri diſcurrere,
Aueſq; odorari latentes, & domos
Cæcas volucrum inquirere,
Latrareq;: iſti ſic, ab ipſa veſpera
Huc uſque cunctis ædibus
Me ciuitatis quæritant: nihil niſi

Cæ-

Cædem, & loquuntur ſanguinem,
Immanitatemque, & ſcelus: quorum minas
Miratur omnis audiens.
Sed ipſe conatus eorum, vt ſpero, iam
Rex ſumme facies irritos,
Frangeſq́ꝫ conſilia impiorum, & vim, tegens
Me hoc in periculo graui.
Robur meum acceptum tibi refero, tu enim
Protector es ſolus mihi:
Qui pro benignitate me tua prius,
Quàm te inuocem, foues, tegis,
Iuuas tua manu, his doces cum barbaris
Quo pacto agendum ſit mihi:
Quos obſecro ne tolle de medio ſtatim,
Ne fortè iuſtitiæ tuæ
Clariſsimum exemplum, & ſalubre cæteris
Gentis meæ animis effluat,
Sed exules rerum indigentes omnium
Vagi diu ſecum ferant
Æqui tui monumenta pro ſuperbia,
Periurio, & mendacijs,
Faſtuq́ꝫ inuſitato, & immodeſtia,
Pro mente vecordi, & dolo,
Capti arrogantiæ ſuæ laqueis ſui
Pœnas luant piaculi.
Quin tabe ea conſume ſic hos, vt de eis
Non deſinant gentes loqui.
Quos dehinc ad vnum ſic tuus furor opprimat,
Vt natio omnis iſteq́ꝫ

Or-

Orbis Iacobeorum & ingens, & pium
Te numen eſſe ſentiant,
Cui pareant gentes ab Indi littore
Britanni ad oras vltimas.
De nocte ſic domum efferi obſident meam,
Vt ſæpe ſæpiuſque eant
Vicos per vrbis vniuerſos totius,
Paßim videntes ſi offeram
Me aſpectui illorum. citi vt canes ſolent
Per meſſem agri diſcurrere,
Aueſq́ odorari latentes, & domos
Cæcas volucrum inquirere,
Latrareq́: iſti ſic, ab ipſa veſpera
Hucuſq́ cunctis ædibus
Me ciuitatis quæritant: quoad pater
Impunitatem eis dabis?
Pro crimine hoc cogantur extincto duce
Suo impio, iniuſtißimo
Victus per vrbem gratia diſcurrere
Oris vagariq́ omnibus:
Quo non ſibi inuento fame enecti illico
Ieiuna inanes dormiant.
Sed ipſe prædicabo vim tuam Deus
Vbique, te ſemper canam:
Tuamq́ mature efferam potentiam,
Clementiamq́ laudibus.
Pſallam tibi ò robur meum, qui anguſtijs
Periculoſo in tempore
Me vindicas ab omnibus, circundatum

Feris ab aduerſarijs.
Tu, tu mihi protector es Deus, mihi
Autor bonorum es omnium.

ARGVM. PSAL. LX.

Bellum gerens quàm difficillimum rogat
Opem ſuæ genti parentem cœlitum,
Qui deinde confirmatus almi oraculo
Patris, ſibi datum iri ait victoriam.

PSAL. LX. SPINVLAE.

QVi diſsipaſti nos, & aſpernatus es
Magno furore concitus
Deus reconciliare iam nobis rogo.
Qui prælij tanto impetu
Vexatus eſt, vt nutet, huic orbi precor
Medere iam miſerrimo.
Gens noſtra dura ſuſtulit, acerbiſsima
Quæ vidimus ſpectacula?
Afflictionum pocula heu lethalia
Nobis miniſtraſti omnibus.
Quando pater ſanctiſsime, à nobis tibi
Satis datum eſt iam ſupplici,
Tua, parentum vti ſolebas tempore,
Clementia in nos vtere:
Vt bella maiores fera auſpicijs ſibi, &
Ductu adminiſtrabant tuo
Feliciter, vexilla quòd dabas eis
Ipſe erigenda in prælijs,
Queis gens tua aduerſarios omnes ſtatim
Vincebat ex ſententia,
Sic numen & nunc diligentibus tuum

Signum dato illiuſmodi,
Vt hoſtis euadant furorem, & impetum,
Ac liberentur omnibus
Mauortis huius, qui colunt te, prælijs.
Meam precem iam exaudias,
Et nos tua ſerues rogo iam dextera.
De me locutus eſt Deus,
Hæc verba de throno dedit ſanctiſsimo,
Quæ me beant, te Sicima
Valliſq́, Sochotha, & Galaaditis ſolum
Quod contigit, & oppida
Manaßis aßignata quondam poſteris,
Ac Ephraimi liberis
Præſtantibus alijs Hebræis robore, &
Vigentis, & potentia,
Omnesq́ue terras olim Iudæ filijs
Regentis imperium datas
Non hoſtium obtentura caſtra, at Dauidem
Omnino victorem fore.
Quin, vt mihi recepit idem rex Deûm,
Statim Moabitas feros,
Idumeoſq́, ad ſeruitutem omnes traham,
Et vos Paleſtini ſimul
Iußis, & imperio meo parebitis.
Sed quis det has vires mihi,
Queis oppida expugnem iſta munitißima?
Quæ obſeſſa tanto tempore
Numen dedit tenere me anguſtißimum.
Quis amplam Idumeam ocyus

Me inducat? alme nonne tu Deûm parens?
*Qui tamdiu auxilio tuo, & *
Virtute ſpoliaſti, atque gratia meos
Exercitus, & copias.
Non gentis huius dux eris? non mœnia
Hoſtilia induces eam?
Orantibus feras opem, à periculis
Nos vniuerſis eruas.
Non viribus, neruiſq; noſtris fidimus,
Neq; ex viris mortalibus
Pendemus, vt tu conſpicis. quare tua
Freti manu pugnabimus.
Victoriam fac aſſequamur, barbaros
Hos dede nobis obſecro.

ARGVM. PSAL. LXI.

Opem Dei in periculis implorat, hinc
Se dicit imperio potiturum, & canit
Perenne regnum filij ſummi patris.

PSAL. LXI. SPINVLAE.

AVdi pater beate clamorem meum,
Meam precem attende obſecro:
Acerbitas grauis animi quòd me tenet,
Necnon & anxifer metus,
Ingens dolorq;, imploro te patriæ vltimis
Exul relictæ à finibus,
Inops vbi, miſerq; durum iſtud genus
Vitæ, vagumq; perſequor:
Vt ipſe, quò per me haud queo conſcendere,
Tutum in locum me conferas.

Tu ſolus es fiducia, atque ſpes mihi,
Tutumq́ propugnaculum.
Fac ergo ſecurus habitem domo in tua.
Alis tuis fotus, quaſi
Tectus volucre pullus à dulciſſima.
Votum meum exaudi precor,
Hæreditatem qui perennem das pijs
Numen tuum colentibus,
Regiq́ largiris carentia exitu,
Omniq́ fine tempora,
Apud Deum *queis imperet ſanctis viris,*
Turbeq́ magnæ cœlitum,
Clementiam ſeruans, fidemq́ iugiter.
Cœlo vſque numen laudibus
Tuum efferam clemens Deus, *vota & mea*
Quotidie ſoluam tibi.

ARGVM. PSAL. LXII.

Soli Deo fidendum, & eſſe nil viris
Mortalibus fallacius.

PSAL. LXII. SPINVLAE.

Contempta inani ſpe meus
Animus virûm mortalium
Iam conquieſcit in patre,
Ex quo ſalus pendet mea:
Qui ſolus eſt numen meum,
Seruare me valet, mihi
Id robur eſt, vt admodum
Non æſtuem in periculis.
Quouſque dementes eum,

Qui carus eſt Deûm patri
Euertere, & pro viribus
Conamini diſperdere?
An vos parietinis latet
Simillimos, & erutæ
Sepi ocyus perire, qui
Affertis huic moleſtiam?
Qui cœlitum regem colit:
Vt eruatis funditus
Mendacio hunc, quibus aliud
In ore, aliud in pectore eſt.
Contempta inani ſpe meus
Animus virûm mortalium
Iam conquieſcit in patre,
Ex quo ſalus pendet mea:
Qui ſolus eſt numen meum,
Seruare me valet, mihi
Id robur eſt, vt admodum
Non æſtuem in periculis.
Deo mea ſpes nititur,
Qui robur eſt, & gloria,
Et columen, & ſalus mihi
In quo mea eſt fiducia.
Semper Deo confidite,
Qui noſtra ſpes, & numen eſt,
Curamque mortales, apud
Hunc oro veſtram effundite.
Sic eſt inanis, fluxaque
Mendacium potentia

Mor-

Mortalium, libræ altera
Vt lance ſi imponas viros,
Inanitatem in altera,
Præponderarit illico
Inanitas. non veſtra ſit
In vanitate ſpes rogo:
Non raptui, non fraudibus
Confidite, haud præbete vos
Obſecro vanos, atque opes
Mecum affluentes temnite,
Non veſtrum in has intendite
Animum: Deus locutus eſt
Quiddam, quod olim ipſe audij,
Summum patrem eſſe potentia,
Clementiaq́; præditum,
Et perſoluturum bonis
Hac præmia, illa debitas
Pœnas viris nocentibus.

ARGVM. PSAL. LXIII.

Quanam teneretur videndi cœlitum
Summi patris templum cupidine hac canit
Ode, e'q; contemplatione numinis
Quantum voluptatis capiat, & ſeſe ait
Victis potiturum throno ſuo hoſtibus.

PSAL. LXIII. SPINVLAE.

TE mi Deus vigilanter ò numen meum,
Supplex requiro diligens:
Te mens cupit mea admodum, te non minus,
Quàm rorem hians, & torridus
Ager ſiti, deſiderat caro hæc mea.

In hacq́; ſolitudine
Contemplor vt ſanctiſsimo in fano tuam
Potentiam, atque gloriam.
Te, cuius alma eſt manſuetudo melior
Vita, celebro laudibus:
Et, ſpiritus quoad meos artus reget,
Numen tuum ſemper canam.
Quin & manus meas agendis omnibus
Sancti tui cum numinis
Honore, cultuq́; admouebo iugiter,
Tibiq́ue habebo gratias.
Se laudibus tuis animá mea non minus
Oblectat hæc canens tibi,
Quàm carnibus feſſus viator pinguibus,
Viniq́ue læti poculis.
Quò numinis tui memor nocte, excubans
Te concino, celebroq́ue,
Qui fers opem mihi, tua & ſic dextera
Tegis, volucris vt pia
Nidum ſuum tuetur à ſæuo alite.
Adhæret anima mea tibi,
Quoniam manu fulcire eam ſoles tua,
Pugnando humi ne concidat.
Vitam in meam qui machinantur, impij
Ruent ad ima tartara,
Mucrone ad vnum ferreo cæſi cibus
Feris erunt ſyluestribus.
At per DEUM *hic lætabitur rex præpotens*
Crudelis hoſtis funere,

Cùm

Cùm geſtient prægaudio omnes, principem
Hunc qui colunt ducem ſuum,
Os obſtrui vano intuentes, quo viro
Semper bono detraxerat.

ARGVM. PSAL. LXIIII.

Suos in aduerſarios, quos præcinit
Pœnas ſoluturos graues.

PSAL. LXIIII. SPINVLAE.

VOcem meam præcantis exaudi pater,
Hoſtis tuere ab impetu
Vitam meam: in me quanta conſpiratio
Fiat malignorum vides.
Conatui me oro improborum ſubtrahe,
Qui me parant euertere.
Linguam ſuam, ferrum, vt venenatum, ſibi
Student acutam reddere,
Eduntq́ue verba omnes pios, ſicca magis
Teloq́; vulnerantia:
Vt ex loco abdito repente callidi,
Ab vltione cœlitum
Regis nihil ſibi timentes aſpera,
Figant viros innoxios.
Seſeq́; confirmant malam ad rem peſſimi:
Omniq́; cœlanda pio
Dum conſulunt pedica ſuper ſua, timent
Vt ne quis illam ſentiat:
Ac dum nocendi excogitant plures vias,
Huc mentis intendunt ſuæ
Senſuſq́;, vireſque, vt bonum & vitæ integrum

Omnino telis vulnerent.
Verùm ſupremus omnium rerum Deus
Hos ſauciabit illico
Suis ſagittis: territi qui vulnere
Simul inopino concident.
Tum quiſquis exprobrabit illis voculas
Suas, quibus detraxerant
Cuiq; optimo, tantam videns cladem, & patris
Deorum opus mirabitur:
Quæ viderit, narrabit omnibus, probans
Factum Dei *iuſtiſſimum:*
Lætabiturq;, vindicem quòd ſenſerit
Habere iuſtos hîc Deum:
Deincepſq; confidet Deo: *omnes & pij*
Tum geſtient præ gaudio.

ARGVM. PSAL. LXV.

Gentem loquentem inducit Hebræam, quæ apud
Sæuum exulabat barbarum, atque præcinit
Gaudens ab exilio ſuum reditum, & Dei ad
Cultum omnium conuerſionem gentium.

PSAL. LXV. SPINVLAE.

L*Audaris in pia* Deus
Vrbe ad Sionem condita:
Sanctéque vota illic tibi
Soluuntur, illic ſupplicum
Audis preces orantium:
Quò nationes totius
Magni orbis ad te confluent.
In te nimis peccauimus,
Nimiſque cœlitum parens,

Pro

Pro maxima tamen tua
Clementia nobis ſcelus
Immane condonabis, ac
Duces priores in domos.
Beatus ille, quem pius
Tibi cooptans eligis,
Vt atrijs domus tuæ
Fruatur, & cellæ tuæ
Sacræ bonis perennibus.
Quanquam Deus legem in tuam
Commiſimus, tanquam pios
Exaudies nos attamen
Spes noſtrâ, & omnium pater
Mortalium, vel qui tuas
Vrbes habent, vel qui vltimas
Oras colunt vaſti æquoris.
Tu, tu potentia tua
Incomparabili vndiq;
Formare montium ſoles
Molem, mare atque concitas
Ventis aquas componere, &
Sedare multitudinis
Graues tumultus illico.
Cœleſtium ſator tua
Hæc ſidera exorientia,
Et ſigna feſtinantia
Bis ſex mari ſe tingere
Indi, Britanni, & Affrica
Mirantur, & Septentrio.

Te laudibus lætiſſimis
Omnis celebrat concio,
Qui reddis vberem ſoli
Glebam, rigans hanc imbribus
Largis, vt annonam ferat
Multam: ſacrum Iordanem aquis
Auges, vt hac, illac fluens
Lætas agrorum reddere
Meſſes, & arua pinguia
Humumq́, poſſit fertilem,
Ipſius vſque inebrians
Sulcos, & in liras polo
Demittis imbres, gramine
Veſtis, & ornas omnibus
Donis tuis. quin orbitæ
Currus tui impreſſæ rotis
Pinguedinem inſtillant DEûm
Parens in agros. paſcua,
Quæ plena erunt rerum omnium
Ornatu, & omnibus bonis,
Mirabimur lætiſſima.
Saltus greges quàm plurimi
Noſtros habebunt: fructuum
Colles & ornati omnium
Satis, ſuperq́, copia
Sic geſtient præ gaudio,
Vt nil ſuprà: atque vallium
Pingues agelli te canent,
Tibi ſonabunt carmina.

ARGVM. PSAL. LXVI.

Gentem loquentem inducit Hebræam pius
Rex gratulantem maximè tandem à iugo
Se liberatam ſeruitutis barbaræ.

PSAL. LXVI. SPINVLAE.

Vrbes, & agri cantibus
Sonate, numen ipſius
Cantate maximum Dei:
Et gloriam & laudem date
Patri benigno, vindici
Noſtro: Deo*que dicite:*
Quàm mirum opus tuum Deus,
Et magnitudo roboris
Tui, quibus fruſtratus es
Omnem tuum aduerſarium,
Et nationes barbaras.
Omnis tibi deſeruiat
Tellus, canat numen tuum,
Feratq; cœlo laudibus.
Adeſte cultores Dei,
Adeſte, contemplamini
Factum, & patris mirabilem
Modum, atq; conſilium, genus
Mortalium quo temperat,
Quo innoxijs, & ſontibus
Rector Deorum *conſulit.*
Nam reddidit durum maris
Rubri ſolum inſtar marmoris,
Iudæa gens quà tranſijt:

Ior-

Iordanis vndas alueo
Exhauſit immenſi illico,
Et geſtientes gaudio
Per fluminis ſiccas domos
Sicco patres duxit pede.
Qui magno ab orbe condito
Vi maxima, & potentia
Summa imperans, alto polo
In nationes coniicit
Aciem ſuam, atque deprimit
Qui ſeruiunt cupidini
Teterrimæ, imperium potens
Et iuſſa temnentes patris,
Efferre in altum qui ſolent
Mentem ſuperbam, & impiam.
Cantate ſupremum Deum
Orbis, celebrate ipſius
Laudes vbique, qui dedit
Nobis pius vitam improbis,
Qui in maximis periculis
Seruauit incolumes, neque
Perpeſſus eſt nos funditus
Perire ſupplices ſuos.
Vt purgat argentum artifex
Flammis, pater Deûm *ſuam*
Gentem expiauit ignibus
Afflictionum acerrimis,
Vinclo ſolet qui ferreo, &
Domare eam moleſtijs.

Quin

Quin impium tu præficis
Rex cœlitum, & mortalium,
Nobis ducem, qui pulſet, ac
Caſtiget vſque nos, quoad
Pœnas luamus noxiæ, &
Piaculi: nos per maris
Aquas, & ignem ducis in
Tempe Deorum frigida.
Quare aduenio fanum tuum
Cum victimis, vota vt mea,
Quæ nuncupaui numini:
Cùm me ferire barbari
Vellent, tibi ſoluam omnia;
Pingue vt ſacrum tibi offeram,
Hircoſq́, mactem, agnos, boues
Et arietes aram ad tuam.
Adeſte, & audite ô pij
Numen colentes, dum loquor
Quænam mihi ipſe præſtitit
Deûm parens: vocare quem,
Vnaq́, ſoleo laudibus
Attollere, &, ſi conſcius
Iniquitatis ſim, minus
Precationem audit meam.
Tandem audijt me præpotens
Numen, piaſq́ue præbuit
Aures mihi, cui gratias
Magnas ago, quòd pro ſua
Benignitate non meam

Ora-

Orationem tempſerit,
Nec ſupplici mihi ſuam
Clemens opem negauerit.

ARGVM. PSAL. LXVII.

Orans vt Hebræo, atque nationibus
Se detegat numen pium, acturum canit
Id, quod precatus eſt, patrem cœleſtium.

PSAL. LXVII. SPINVLAE.

NOs ô pater Deûm miſertus reſpice,
Nobis benignè fac, nigras
Et omnis erroris tenebras ô procul
Repelle cœlitum ſator
Vultus tui iſta luce ſplendidiſſima.
Benignitatis ô pater
Fac claraq́ue nobis obſecro oriatur dies,
Vt notâ fiat omnibus
Terris, domos quæ ducit ad tuas, via,
Et vniuerſi intelligant
Quanti facis mortalium vitam omnium,
Vti ſalus cunctis tua,
Tutelaq́ innoteſcat orbis gentibus,
Vt natio omnis te canat,
Vt quælibet regio tibi grates agat.
Fac vniuerſæ gentium
Lætentur oræ, & gaudio exultent, preces
Qui gentis exaudis tuæ,
Qui ſpiritu potens tuo cunctas regis
Terras, & humanum genus,
Ac omnibus peræquus es, & in viam

Vitæ

Vitæ reducis optimus
Benignè, aberrantes viros ad crimina.
Fac vniuerſæ gentium
Lætentur oræ, & gaudio exultent, preces
Qui gentis exaudis tuæ:
Quò terra, quæ infœcunda manſerat diu
Per te ferat pulcherrimos
Fructus pudoris, atque virtutum omnium.
Nobis DEVS *noſter faue,*
Nobis benignè fac DEVS, *cui ſeruiant*
Gentes ad orbis terminos,
Supplex & omne quem genus mortalium
Colat piè, & ſanctiſſimè.

ARGVM. PSAL. LXVIII.

Idumeos, Sirasq́;, & Amonenſia
Cùm caſtra fudiſſent Hebræi quos pius
Poëta nunc inducit, almi numinis
Potentiam & benignitatem, & vim polo
Lætiſsimi laudum efferunt præconijs.

PSAL. LXVIII. SPINVLAE.

QVi temperat mortalia, atq; conſulit
Innoxijs, & ſontibus,
Deus potens repente cùm ſurrexerit
Iratus hoſtibus ſuis,
Oſoribuſq́ue numinis perterritos
Effundet illos ſæuiens.
Vt fumus in cœlum fugit, vt cerula
Liqueſcit igni feruido,
Pugnante ſic DEO *impij omnes concident:*
Contrà boni lætiſſimi

Congratulantes numinis præſentia
Et geſtient præ gaudio, &
Pſallent Deo, ac potentiam ipſius canent.
Hunc ferte cunctis laudibus,
Cantate nomen ipſius, qui tempore
Venturus eſt ad nos breui.
Lætamini aduentu eius, & coram patre
Gaudete gaudia ô boni:
Cui nomen eſt vni Deus, clementia
Cui eſt ea, vt quanquam polos
Summos colat ſupremus, has curet tamen
Terras, & humanum genus,
Et ſit parens pupillo, & omni acerrimus
Viduæ patronus flebili:
Qui deſtitutis conſulit mortalibus,
Qui perficit, vt omnes boni
Idem volentes cum ſuis vna in domo
Natis morentur, vincula
Qui rumpit, atque compedes vinctis ſuas,
Qui trudit impios bonis
In ſolitudines carentes omnibus:
Vbi ſupreme cœlitum
Parens Hebræis cùm præires, in loco
Inhoſpitali terra mox
Commotione, atque imbribus polus tuam
Teſtatus eſt præſentiam,
Metuq; Diui ſentiens quam maxima
Mons Sina Hebræi numina.
Qui ſic caues, ac conſulis mortalibus

Cle-

Clemens, vt omnibus pijs
Hæreditati copioſum deſtines
Imbrem tuæ, vt cùm deficit,
Ac languet, hanc rector Deorum recrees:
Armenta vbi errent pinguia,
Quæ pro tua benignitate cœtui
Tu comparaſti pauperum.
SED dictat hiſce fœminis noſtris pater
Verſus modoſq; huiuſmodi,
Quæ principum victorias & cantibus
Solent celebrare, & choris:
Exercitus fugêre, fugêre inclyti
Duces, & horum ſpolia
Fidelis hæc diuiſit inter ſe domus.
Si ſordidi ſitis magis
Pleniſſimis ollis nigra fuligine,
Columba tanquam argentea
Alas habens pinnæ aureæ pictas ſibi
Decore, certè candidi
Eritis, & iſte mæror, & luctus volans
Poſt hac in oras vltimas
Migrabit à vobis pij, gaudentibus.
Deûm parens cum cæderet
Immanium hoſtium duces, & copias,
Aſperſus es ſic gaudio
Exercitus bonorum, vti ſolet niue
Zalmon tegi mons pinifer.
Quæ ad fertilem hunc, celſumq; montem, & vberem
Eſt ciuitas ſanctiſſima

Extructa numinis verendi, ipſo auſpice
Sum- - patre, ecquid principes
Infertis hanc in ciuitatem prælia?
Quando eſt Deo *cariſsima,*
Quando hanc ſua tuetur vſque dextera.
Num mille currus cœlitum,
Vel multa millia vrbis huius incolis
Deſunt, vel æterni patris
Currus, vel infinita caſtra pro illius
Salute propugnantia?
Num ſummus ipſe rex Deûm *inuictiſsimus,*
Regumq́, rector? qui pater
Nobis piè exhibet ſuam præſentiam:
Vt in Sina affuit, ſuo
Et nunc adeſt nobis in hoc ſacrario.
Scandiſti in altum dux ouans,
E nationibus triumphans efferis:
Boniſq́, congiaria
Varia paraſti. ſupplici populo, prius
Quidem rebelli parcere
Dignatus es, tecum vt moretur iugiter.
Qua de re agamus gratias
Semper Deo, qui nos ſuis donis pius
Ampliſsimis ornauit, &
Seruauit, à lethi ore traxit, omnium
Et ſauciauit hoſtium
Ferro comatum pertinacium caput.
Sua anteà qui dixerat
Genti exeunti ad arma belli horrentia,

Ego

Ego efferarum gentium,
Et hoſtium delebo turmas, gens mea,
Tuorum: vti effuſo pedes
Cruore diluas, vti canes tuos
Cruore ſaties barbaro.
Delebo & hos, olim Baſani vt copias.
Omnes poteſtatem tuam
Senſere, viderunt ocellis te ſuis
Et vim hoſtium, atque opes manu
Frangentem, in almis qui moraris ſedibus.
Dum rex triumpharet pius,
Qui dulcè concinunt, præibant, fidibus &
Quicunq; ludit muſicus:
Et conſequebantur puellæ tympana
Taurina tondentes manu:
Sonuſq;, noxque huiuſmodi cantorum erat,
O ciuitas ſancta, ô viri
Ex optimo Iſraële prognati, Deo
Laudes gregatim dicite,
Efferte laudibus Deum fortiſsimi
Duces tribuum Iudæ inclyti,
Et Nephthalimi, & Zabulonis, paruuli
Necnon Beniamini genus.
Deus tibi, quo barbarorum ô gens mea
Fudiſti opes, robur dedit.
Sed iſta confirma omnibus nobis rogo,
Quæ præſtitiſti rex Deûm,
Qui contumaces ſunt adhuc, his barbaris
Inferto bellum regibus,

Vt in tuo fano, quod eſt Hieroſolymæ,
Victi tibi dona offerant.
Fortes eorum copias, fortiſsimè
Rex cœlitum, atque milites
Excinde permultos tua oro lancea,
Potentiores qui omnium
Habentur. En ceu taurus, & vitulus iners
Laſciuiunt: hos contere,
Quoad tributa ſupplices tibi pendere
Malint, quibus bellum placet,
Hos perde: nam mittentur ad te nuntij
Ægypto, & atra Æthiopia,
Et eum Deo cupient inire fœdera.
O regna terræ cœlitum
Cantate patrem, laudibuſque attollite,
Qui ſolus altis inſidet
Polis, potens vocem vnde dat quàm maximam:
Agnoſcite, atq; vim ipſius,
Et robur ingens prædicate ſolius
Tanti Dei, *potentiam*
Cuius poli teſtantur, & nubes, humus,
Et quæ creauit omnia.
Eſt ſempiternus hic Hebræorum pater
Mirus ſacrario in ſuo,
Diuinitus qui nos fouet, nos afficit
Virtute, neruis, robore.

ARGVM. PSAL. LXIX.

Sancti loquentes hoc viri pöemate
A Dauide inducuntur, immaniſsimis

Qui

Qui à barbaris in ſeruitutem liberi
Abducti erant: in quo tamen nonnulla ſunt
Quę ad filium ſolum patris ſummi attinent.

PSAL. LXIX. SPINVLAE.

SErua obſecro me iam parens Deûm, maris,
Quem conciti mergunt aquæ.
Malis profundis obrutus luto hæreo
Fundo carente, altiſsimum
In gurgitem incidi æquoris vaſtiſsimi.
Oppreſſus ad rauim tuum
Numen voco clamore, ocelliq́ heu mei
Omni carent iam lumine,
Dum ſuſpicio gemens tuum ad thronum pater.
Qui me inſequuntur impij
Iniuria, plures capillis ſunt meis.
Qui me ſtudent euertere,
Pœnas coactus ſum malorum eis dare,
Quorum ipſe non ſum conſcius.
O cuncta cui ſoli patent mortalia,
In noxia an ſim tu vides.
Sed ob meum infortunium qui in te ſuam
Spem collocarunt obſecro,
Non erubeſcant rector ô cœleſtium
In prælio inuictiſsime:
Viris nec ignominia eis ſit deprecor,
Qui fœdus ambiunt meum.
O numen Hebræorum, & orbis totius,
Iſtam tuo iuſſu fero
Irriſionem, opprobrium, atque infamiam:

Vultum meum tegit rubor.
Hoſpes meis & fratribus ſum factus, &
Incognitus matris meæ
Natis, quòd ardeo tui ſacrarij
Amore: tangunt probraq;,
Queis te inſequuntur improbi me non minus,
Verùm gemens ieiunio
Quòd me domabam flebilem longiſſimo,
Ridere: quod pro veſtibus
Centone vili vtebar, iſti dicere
Dicteria in me iugiter:
De meq; fabulatur omnis, qui ſedet
In ciuitatis curia,
De meq; cantilenam habet ſpumantia
Impurus inter pocula.
Sed ipſe te precabor interim pater
Benigne, opem implorans tuam:
Vt ſingulari pro tua clementia,
Fideq;, nos quibus tegis,
Orationem exaudias tandem meam,
Maliſque tantis eruas.
Me iam profundo ab hoc prius luto eripe,
Quàm totus obruar miſer.
Oſoribus tandem à meis me vindica:
Immenſi aquarum gurgites.
Surgentiumque fluctuum profunditas
Non hauriant me deprecor,
Me non hiatu vaſto aquarum huius maris
Vorago tanta abſorbeat.

Benignitate pro tua, & clementia
Audi Deus precem meam.
Pro ſingulari humanitate me tua
Alto polo iam reſpice:
Ne me tuum auerſare, qui ſum inter ſacrum
Saxumq́, me exaudi ocyus.
Accede vitam ad vindicandam oro meam.
Iam propter arrogantiam
Tantam hoſtium me libera: ſuperbia
Te barbarorum immanium,
Auſuſq́ moueant ô Deus, qui opprobrium,
Pœnam, pudorem, probraq́,
Queis continenter hoſtis impius tuum
Seruum afficit, cognoueris.
Conſpectu habes omnes meos vſque in tuo
Rex fortis aduerſarios.
Diſrumpor heu probro. moror mihi anxius
Qui doleat hanc vicem meam,
Sed nullus eſt: expecto qui ſolatium
Mihi afferat, ſed nullus eſt.
Quin pro cibo fel, atque acetum pro mero
Mihi ſitienti porrigunt.
Quare Deûm iuſtiſsime ô rex, ne obſecro
Preces inultæ ſint meæ.
Sibi vnde quærunt gaudium, mortis plagas
Hinc reperiant: menſam parem
Appone eis parens: eis ſint corporis,
Sint cæca mentis lumina:
Vnaq́ duram ſeruitutem ſeruiant.

Effunde in hos iræ tuæ
Fluctus, petaſq́, fulmine iſto, & deprecor
Dede hoſtibus crudelibus.
Domus, vbi degunt, vbiq́ ſuauiter
Ætatem agunt, ab omnibus
Sic deſerantur, nullus vt mortalium
Ibi moretur amplius:
Quòd ipſe quem pulſaueras, crudeliter
Iſti inſequentes huic malum
Malo addidere: à crimine in crimen ſine
Collabi eos, qui triſtibus
Gaudent malis meis, bonorum & exige
Cœtu è pio: horum nomina
Vitæ è libro dele, orbem vbi quiſque optimus
Eſt ſcriptus ante conditum.
Sed me pater, qui afflictus, oppreſſuſq́ ſum
Nimis, tege, & ſalus mea
Vlciſſere aduerſarios meos. mihi
Quod ſi benignè feceris,
Cælo feram te laudibus, te carmine
Cantabo ſolum iugiter:
Quæ ferta gratiora ſunt tibi Deus,
Quàm taurus, aut bos cornipes.
O vos adeſte pauperes, lætamini
Æquum ſequentes, numina
Colatis, & viuetis. afflictum audit, &
Victum minus temnit pater,
Quem terra, & æquor, & poli cantent, in his
Et quæ morantur omnia.

Seruabit hic, defendet, atque præpotens
Vrbem ſacratam proteget,
Quæ condita eſt montem ad Sionem, conſtruet
Vrbeſq́, Iudææ, erutas
Quas nunc videtis: haſque liberis dabit
Bonorum habendas iugiter:
Cum gaudio quicunque amat nomen patris
Deorum, ibi morabitur.

ARGVM. PSAL. LXX.

Opem Dei in periculo quàm maximo
Implorat Hebræus poëta his verſibus.

PSAL. LXX. SPINVLAE.

MAtura, & à malis Deus me libera,
O domine fer opem oro mihi.
Fac erubeſcant, & dolore peſſimi
Rumpantur aduerſarij.
Qui me volunt necare, ſint inglorij,
Fruſtretur illos ſpes ſua:
Qui machinantur ſupplicem in tuum, precor
Cuncti occidant per dedecus:
Turba impudens cædatur hæc, quæ vocibus
Crudelibus me territat.
A tot malis me vindica oro: vt gaudeant,
Lætentur, exultent boni:
Vt qui ſtudent vitam ſuam committere
Deo, ferant te laudibus.
Contemptus, atq́, afflictus en vt ſum Deus
Clemens, mihi iam conſule,
Et libera quæſo: feras opem citus,

Et ne moreris amplius.

ARGVM. PSAL. LXXI.

Opem Dei implorat pius vates, canens
In ſe ipſius ſummi patris clementiam.

PSAL. LXXI. SPINVLAE.

NE quæſo fallat me Deus, quæ in te mea
Spes eſt: feras opem mihi
Benignitate pro tua, & clementia.
Ab hoſte ne victus meo
Per dedecus moriar, pias aures mihi
Præbe obſecro, & me vindica.
Vt ſaxum inaceſſum, quaſi editus locus,
Tutumq́ propugnaculum,
Vt turris, vtq́ arx es mihi firmiſſima:
Ab hoſte vbi tutus fero
Eius minas derideam, atque vana vbi
Temnam ipſius molimina.
Tu libera ergo me Deus crudelium
Ab impiorum dextera,
Et vi malorum numen ô meum potens,
In quo mihi ſemper mea
Fiducia à cunabulis ipſis fuit.
Quin & parentis in mea
Conceptus aluo ſum tua ſeruatus hic
Benignitate maxima:
Has vnde me eduxiſti in auras poſteà,
Vbi canam te iugiter.
Sed propter has afflictiones omnibus
Sum factus, vt monſtrum horridum,

Tuo putant me derelictum numine:
Sed eſt mea in te ſpecula.
Quare celebrabit meum os laudes tuas,
Et gloriam omni tempore.
Verùm ſenectam ne meam parens ope
Spolies tua infirmam, mihi
Qui paruulo cauiſti adhuc tui inſcio.
Nam machinantur impij
Seruum in tuum, inſidiantur, & ſic inquiunt
Deus reliquit hunc, modò
Fortes viri inſequamini, inſequamini,
Citiq; eum comprehendite,
Quantùm poteſt, non vllus hunc tuebitur,
O noli abeſſe rex Deûm:
Matura, opem mihi feras ocyßimè,
Ac me erue hoſte à barbaro.
Pudore conficiantur aduerſarij
Vitæ meæ nequißimi:
Infamia tege, atq; turpitudine,
Student meis qui incommodis:
Vlciſcere hoſtium frequentiam. mihi
Quod ſi benignè feceris,
Lætabor, & fouens tuam ſpem iugiter
Victorias dicam tuas:
Et laudibus laudes tuas non deſinam
Cumulare: ad hoc rectum tuum
Pater, ſalutemq;, & ſtudia carentia
Numero in tuum gregem canam:
Et rex potens narrabo facta fortia,

Tan-

Tantumq́, iuſtitiam tuam:
Qui me piè doces ab ipſa infantia
Vſq, ad ſenectutem tui
Cantare magna numinis miracula:
Sed quæſo ne me deſeras,
Vſq, ad ſenectutem, atq, canos me iuua.
Dum robur ingens, & manum,
Dum vim tuam cunctis & æquum poſteris
Horumq́, natis prædicem.
Sunt maximè miranda cuncta, quæ Deus
Terrarum in orbe tu facis.
Eſt vis manus incomparabilis tuæ:
Aduerſa qui cùm plurima
Mihi creaſſes, verſus ad clementiam
Mihi reconciliatus es,
Vitamq́, cœpiſti meam defendere,
Et dignitate me magis
Augere, quàm prius: tuumque ſupplicem
Complexus es me recreans.
Quò rector Hebræorum ego & te barbito,
Tuumq́, numen nablio
Semper canam, fidem celebrabo tuam.
Ouantibus canam labris:
Et geſtiet anima mea, quam redemeris:
Finemq́, lingua non mea
Vllum faciet æquo loquendi de tuo:
Quòd turpiter fruſtratus es
Omnes iniquos, perfidè exitium & necem
Qui moliebantur mihi.

ARGVM. PSAL. LXXII.

His verſibus vatis canora barbitos
Felicitatem Salomonis concinit
Regni, atque rectum: plurima inſerit tamen,
Quæ ad filium tantum patris ſummi attinent,
Nam quædam imago huius fuit regnum illius.

PSAL. LXXII. SPINVLAE.

Pater ſupreme, quæſo ſpiritu pium
Impertias regem tuo,
Eiuſque natum, vt ordine, & rectè omnia,
Sapienter & iuſtè gerat,
Vt deſtituto ſpe & fide mortalium,
Et conſulat cuique optimo.
Æſtate paßim florida ceu maxima
Frugum, meriq́ copia
Monteſq́, colleſq́ affluunt, ſic plena erunt
Et pacis, & recti omnia,
Cùm cœperit ſedere ſapientißima
Proles mea in throno meo.
Oppreßi, & afflicti patrocinia viri
Hic rex pius tuebitur:
Neruoſq́ iniquitatis incidet, pios
Manu ſua cunctos teget.
Rex magne, tamdiu colet numen tuum
Immenſus orbis, quandiu
Sol aureus, ſororq́ pulchra amabili
Terram irrigabunt lumine.
Imbri polo cadenti eris ſimillimus,
Qui reddat agros fertiles.
Concors duce illo iuſtitia, pax, gratia

Flo-

Florebit oris omnibus,
Dum Luna curſum inibit errans menſtruum,
Imumq́ luſtrabit ſolum.
Huiuſq́ latum principis regnum à mari
Eoo ad vndas vltimas
Britanni, & à Septentrionis æquore
Ad pontum erit vaſtum Affrici
Et nationes cunctæ ei deſeruient,
Atque Æthiops coram illo humi
Procumbet. hoſtes ipſius terræ oſcula
Dabunt aperta: principes
Tharſiſq́, & inſulas colentes munera
Tanto ferent duci, feret
Arabs, ferent reges Sabæi: principes
Omnes adorabunt eum:
Cunctæq́ gentes orbis illi ſeruient,
Et vnda ſpumans æquoris.
Nam deprecantem vindicabit ocyus
Afflictum, eum cui nemo opem
Ferebat: oppreſſi miſertus eruet
Hunc fraude, viq́ue liberans:
Magno piorumq́ æſtimabit ſanguinem.
Viuet, beatus ac ſuum
Aurum dicabunt, ſed mortales ei,
Cui ſupplicabunt iugiter.
Et proſequentur optimi viri omine
Quotidie hunc fauſtiſſimo.
Cereſq́ue tantum fœnoris pauciſſima
In montibus ſummis dabit,

Vt editura flante ſit Cauro ſonum,
Quem Libani arbores ſolent.
Quin ciuium prouentus ingens, & virûm
Sanctorum. & integrorum erit.
Cunctiq́ mirabuntur imperium ipſius,
Et gloriam increbreſcere,
Nomenq́ maximum, quod vt Sol igneus
Durabit omni tempore.
Vitam, & ſalutem totus orbis per ducem
Hunc aſſequetur optimum:
Omneſq́ committent ſe ei, præq́ omnibus
Hunc eſſe felicem canent.
Agamus ergo gratias ſummo Deo
Qui mira ſolus efficit.
Diui huius Hebræorum & ingens, & ſatis,
Superq́ magnum ab omnibus
Nomen canatur vſq́: tanti ſit ducis
Regnum perenne, & gloria
Terras per omnes orbis illuſtriſsima.
Quò ſanctè, & auguſtè patris
Omnes canant laudum ipſius præconia
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL. LXXIII.

Solatur illum, qui ſolet ſæpe angier
Felicitate, & impij potentia,
Bonos egeſtate, & videns incommodis
Varijs premi. Videtur in Saulem inuehi
Regem improbum, ipſiusq́; conſiliarios.

PSAL. LXXIII. SPINVLAE.

IAcobeis quanquam ſuis, qui mente ſint

Pura, benignus eſt pater,
Commotus ipſe ſum tamen rector Deûm,
De proſperis mortalium,
Sic vt ferè à iuſti viri ſententia
Sancta, & graui deceſſerim,
Peccauerimque in te pater cœleſtium.
Perſæpe id iratus fui,
Quòd ijs, qui agunt per crimina ætatem ſuam,
Salua eſſe cernerem omnia
Vigentibus, pleniſsimis, valentibus,
Vltra modum florentibus,
Eis onus nullum eſſe, cui ſuccumberent,
Mortalium laboribus
Illos carere, nulla ferre verbera,
Queis vulnerantur cæteri.
Quare hos tenet ſuperbia, atq; iniquitas,
Iniurij ſunt omnibus,
Et hunc, & illum negligunt: curamq; in hanc
Solùmmodo incumbunt die,
Noctuq; tempto numine, vt pinguiſsimi
Ventri, gulæq; indulgeant.
Et commoda hæc feliciter plus, quàm audeant
Sperare, contingunt eis.
Iniquitate occalluêre, atrocia
Facta, & loquuntur impia:
Audent Deorum principem contemnere,
Legem ſacram reſcindere,
Audent ſua vexare lingua cœlitum
Sedem, & domos mortalium.

Quæ cuncta mirantes boni, iſtorum nefas,
Et impiorum crimina
Lætantur, & vitam, & voluptatem ſequi.
Vt lympham anhela ardens ſiti
Olim bibit feſſus viator, fontem vbi
Aduenit optatiſſimum,
Caſti viri horum opiniones hauriunt:
Studentq́, vulgo dicere,
Putatis hæc curet Deus mortalia,
Aut numen hæc intelligat?
Hìc cùm malus vitæ affluat tot commodis,
Bonoq́, ſit beatior,
Potentia, omnibuſq́, rebus floreat?
Et ipſe mente talia
Voluens in hanc inſaniam iuxtà incidi,
Vt dicerem innocentiæ
Inaniter vacaſſe me, quando dies
Eſt nullus, in quo maximè
Non angar, atque multa ſupplicia feram:
Stultè locutus hæc fui.
Ac deinde diligentius rem cogitans,
Sic voce rettuli mihi,
Si ſentio ſic & loquor de numine,
Vitam boni nonne improbo?
Pro viribus conabar ipſe hæc ardua,
Summamq́, prouidentiam
Cognoſcere, & rectum, quibus Deûm ſator
Hæc temperat mortalia,
Sed magnitudine iſtius negotij

Perterrito notiſsimum
Fuit mihi per me nequire ad illius
Intelligentiam rei
Venire, ni ſummus pater rerum omnium
Hanc mentis aciem illuminet,
Quò cernam eorum, fluxa queis dantur bona,
Pericula, & vitæ exitum,
Et quas breui pœnas luant à gaudio.
In numen ingrati pium
Delentur extemplo, ſimul terroribus
Preſsi repentinis cadunt
In tartara: & ſic fama, gloria, ac opes,
Fortuna florentiſsima,
Permagna claritas eorum nominis,
Et ſplendor, atque dignitas,
Qua inflantur, euaneſcit auras in leues,
Vt dormientis ſomnium.
Sic beſtia dementior parens Deûm,
Ipſe æſtuabam iugiter,
Angebar imprudens malorum inanibus
Virûm bonis, quem tu tamen
Piè foues: nam dextera meipſum tua
Semper tegis, ſemper tuo
Vbiq; conſilio regis viæ comes:
Mox vnde me ad cœleſtium
Felicitatem transferes, vbi ea bona
Mihi parauiſti, quibus
Si comparem hæc caduca, me quid ſtultius?
Sed quando luce, gratia,

Splen-

Splendore, & aura recreaſti me tua,
Sic te cupit meus, pater,
Animus, vti tabeſcat aßiduo tui
Supremi amore numinis,
Et corpus hoc, quod anteà rebelle erat,
Menti reconcilianerit,
Vnaque numini tuo nunc ſeruiant.
Tu robur, & virtus mea,
Tu copiæ, tu lar, tu opes, tu hæreditas,
Tu gaudium, coronaque.
A te potens qui deficit rex, hic ſuo
Vt arbitratu vitam agat,
Excindis, atque euertis illum funditus.
Nam perdis omnes qui impiè, &
Audent ſuperbè aliud tibi præponere.
Non improbos ergo ſequar
Ditiſsimos, verùm tibi omnis ſpes mea
Nitetur, & fidem meam
Tantùm locabo in te Deus numen meum,
Et facta concinam tua.

ARGVM. PSAL. LXXIIII.

Iudæa gens deplorat incendia ſacri
Fani, vrbis & vaſtationem, deprecans
Summum patrem Deum, vt aliquando opem fer

PSAL. LXXIIII. SPINVLAE.

ECquid ſibi vult cœlitum rex, hæc tua
Tam iugis indignatio?
Cur neglis paſtor piè, iratus gregem
Tuum, coactum quem locis

Vberrimis aliâs ſolebas paſcere?
Iam ciuitatis obſecro,
Quam comparaſti olim tibi & peculij
Gentis tuæ, quondam manu
Quam vindicauiſti, & Sionis illius,
Quem ſolum habebas, ſis memor.
Ades rogo, euertaſq́ funditus malos
Hoſtes, manu illud qui impia
Fanum tuum eruêre quàm ſanctiſſimum.
Feſtis diebus in ſacris
Solennibus vocem improbam cur barbari
Sic euehant, trophæaque
Ponant, & importuna curia in tua
Signa erigant victoriæ?
Nos vidimus fano in tuo iſtos impios,
Lignator vt bipennibus
Sylua in profunda cædere arbores ſolet,
Armis ferire limina,
Sculptumq́ demoliri opus, ſacraria
Flammis & ipſa incendere,
Ac ædis ornamenta turbare aurea,
Simul loquentes talia,
Hæc omnia euertamus, & feſtos dies
Tollamus horum numinis.
Quare Deus nos, teq́ deſeris? tuæ
Clementiæ in nos vidimus
Non vllum adhuc ſignum: tuæ haud vates pius
Genti futura præcinit.
Hæc quandiu feremus ô clemens pater?

Quoſq; nobis improbæ
Gentes erunt iniuriæ? impias quoad
Harum feres calumnias,
Tuæq; maieſtatis, atque numinis
Contemptum? adhuc rector potens,
Vtranq; contrahes tibi in ſinus manum?
An vſque rex fortiſsime,
An vſque numen ô meum cunctaberis?
Victoriam totius
Ingentis orbis autor inuictiſsimus
Semper fuiſti alme ô pater.
Non tu adfuiſti patribus, non per mare
Latam ipſe ſtrauiſti viam?
Non tu, quaſi immanis caput Ceti ducem, &
Fregiſti in vnda Ægyptios?
Non tu feris dediſti eorum corpora
Tetra lanianda immitibus?
Non flumina eliciens patres duriſsima
E caute potaſti improbos?
Non maximum exiccaſti eis Iordanem, uti
Pes ſiccus eſſet tranſiens?
Non tu diem, noctemq;, lucem, & ſidera,
Solemq; finxiſti igneum?
Non ipſius telluris iſta terminos,
Cœlumq; firmaſti manu?
Non denique æſtatem igneam, & hyemem tua
Mollem creaſti dextera?
Sis ergo contumelioſi, & improbi,
Et contumacis barbari

Tantæ arrogantiæ Deus non immemor:
Qua non modò iſte nos premit,
Numen verendum, ſed etiam tuum impio
Auſu ſtudet proſcindere.
Ne turturem tuum oro, Hebræum ſcilicet,
Huic dede crudeliſsimo.
Afflictionem quæſo noſtram reſpice,
Memento mitifœderis:
Quandoquidem redacti eò ſumus loci,
Cogamur vt miſerrimè
In ſqualidis per efferum hoſtem eſſe domibus
Luce aurea carentibus:
Iniurijs vbi tamen nos afficit,
Et continenter verberat.
Fac rebus à cunctis inops gens turpibus
Euadat abſque iurgijs.
Iniurius fac quæſo ne aduerſarius
Sit cœtui pauperrimo,
Qui laudibus cœlo efferet nomen tuum.
Surge ergo rector cœlitum,
Surge, ac tuam cauſam ipſe agas: opprobrij,
Quo te ferit quotidie
Hoſtis, memento: barbarorum voculæ
Horum tibi non excidant,
Non excidat tumultus hoſtium, in dies
Qui pergit increbreſcere.

ARGVM. PSAL. LXXV.

Græci, & Latini vt ſentiunt interpretes,
Inducitur Chriſtus loquens, & impios,
Sonteſq; deterrens ab arrogantia.

PSAL. LXXV. SPINVLAE.

TOllemus vſque laudibus,
Tollemus ô Deus *tuum*
Numen, quod vſq; erit bonis
Præſens: loquemur omnia
Quæ mira feciſti pijs.
Pœnas luent (inquit Deus)
Sontes mihi, nouiſſimus
Cùm venerit dies, virûm
Quo iudicem cauſam omnium
Æquiſſimus: tum ſentient
Icti ſiniſtro fulmine
Montes ſuperbi iram meam:
Omnes timebunt incolæ
Telluris: ipſe quam mea
Virtute confirmaueram,
Hanc nunc mouebo concitus
Furore, & ira maxima.
Qui ſæpius ſtultiſſimis
Hæc dixeram mortalibus,
Studete iam ſapientiæ,
Ne tollite iſta cornua,
Vos ne efferatis in Deum,
Ne numini loquamini
Malè, aut ſuperbè, aut impiè:
Vos cœlitum ſummo duci,
Atque optimo iam ſubdite:
Quando vltima haud ab India,
Haud à Britanni littore,

Septentrione haud frigido,
Haud torrido meridie
Potentia, atque dignitas
Accedit ad vos, ſed Deûm
A rege iuſto iudice
Hæc cuncta manant cœlitus
Mortalibus, quorum hunc vehit,
Illum opprimit rectiſſimus:
Qui fece, vino, & calicem
Pleniſſimum dextra tenet,
Quo potat omnes vos: bibent
Ingentis orbis iſtius
Hinc fecem amaram omnes mali.
Ego interim te concinam,
Laudaboque Iacobi Deum,
Ac impiorum cornua,
Quæ tollere audent in pios,
Frangam, & viri potentiam
Firmabo iugiter boni.

ARGVM. PSAL. LXXVI.

Victoriam inſignem hoc celebrat carmine
Eamq; opinor, quam reportarant fero
De Senacheribbo rege Iudæi duces.

PSAL. LXXVI. SPINVLAE.

REx inclytus cœleſtium
In orbe Iudææ ſacro,
Et notus & celebris eſt
Quàm maximè, apud Hebræos qui
Illos habet ſummum ſibi

No-

Nomen: Hieroſolymæ eius eſt
Tentorium, ſanctiſsima
Sionis incolit iuga:
Vbi volucre ſpiculum
Arcus, & enſes, ſcutaque
Confregit, ac victoria
Potitus eſt in prælio.
Præclarus, & generoſior,
Suiq; in hoſtis impetum
Ferox magis leonibus,
Vrſoq; montano fuit.
Pugnante nam Deo *hoſtium*
Audacium tot copiæ
Mox corruunt, reſiſtere
Minus valentes numini:
Mox dura ocellos his quies,
Ac ſomnus vrget ferreus:
Mox noctem in æternam humida
Claudunt gementes lumina:
Mox hoſtis ad tuas minas,
Deus Iacobi, territi
Cum tot quadrigis, ac equis
Euanuere exercitus.
Formidoloſus es nimis
Rector Deûm, *quis ante te*
Conſiſtere iratum valet?
A ſtrage ea iuſtiſsimè
Per te edita, qui in finibus
Noſtris morantes vndiq;

Et

Et copijs, & viribus
Nos territabant ſæpius
Terrore perculſi graui
Silent: tuum quòd ſentiunt
Cauere numen omnibus,
Qui terram habent, viris bonis.
Quare eſt tibi laudi furens
Iſta rabies mortalium:
Nam prælia inſurgentium
Gentem in tuam faciunt, boni
Vt gratulentur vindici
Suo huncque tollent laudibus.
Vouete, vota & ſoluite,
Afferte grata munera
Pij, Deo veſtro, Deo
Cœli verendo numini,
Animam poteſt qui extinguere
Cunctis viris potentibus,
Telluris vnus maximis
Formidoloſus regibus.

ARGVM. PSAL. LXXVII.

Iudæa gens (Græci vt putant) inducitur
A vate, narrans quo dolore affecta ſit
Anguſtia in graui, atque mentis quo modo
Leuauerit mœrorem, & angorem ſuæ.

PSAL. LXXVII. SPINVLAE.

NVmen fatigabo prece
Vocans, fatigabo, mihi
Aurem ſuam dum præbeat.
Pergo Deum, cùm vexor, &

Aduer-

Aduerſa me angunt, quærere.
Nullum recrudeſcentibus
Plagis meis admittere
Solatium decreueram.
Et nunc memor ſum numinis
Clementiæ, hiſq́ue anguſtijs
Me ſat ſuperq́, angentibus,
Vti leo horrendum fremens,
Deum meum ſic alloquar:
Me magnitudo ſupplici
Tui videre conditor
Meis ocellis non ſinit
Somnum, & dolores me enecant
Grauiſsimi, ſic, vt nihil
Hoc poſsit os meum edere.
Menti tamen ea ſecula,
Quibus tu ab hinc quàm plurimos
Annos pijs antè patribus
Fauiſti, & occurrunt boni,
Quos eruiſti anguſtijs.
At cogitabo carmina,
Cùm nox tenebris candidum
Pellit diem, quibus alios
Solatio affeci, & loquar
Mecum, atque erit animus meus
Attentus his ſermonibus:
Quid? an'ne deſeret ſuos
In poſterum ſemper Deus?
Semper furore percitus

Erit?ſuæ clementiæ
Erit'ne ſemper immemor?
An ſtare promiſſis ſuis,
Quibus recepit omnibus
Semper bonorum poſteris
Seſe affuturum, deſijt?
Non lenitate impertiet
Sua pios? vel hoc ſua
Benignitate maxima
Vnum carebit ſeculum?
Hinc cogitans almi patris
Dexteræ eſſe ſperandam mihi
Ægro viciſſitudinem;
Qui non ſemel, ſicut modò,
Mihi æſtuante aliàs ope
Sua benignè occurrerat,
Aduerſa fortiter tuli.
Quin ipſe mecum ſæpius
Exacta mente tempora
Percurram, & vſq; diligens
Putabo vt à periculis,
Et hoſte maiores DEUS,
Olim ipſe vindicaueris:
Putabo quæ miracula
Et facta viderint tua
Patres ab orbe condito:
Putabo & imperium tuum;
Et conſilia. quæ tu facis,
Agas licet ſeuerius

In

In nos pater, iuſtiſſima,
Et ſancta ſunt quippe omnia.
Quis eſt potens, vt tu? vnus es
Incomparabilis Deus,
Miranda ſolus qui geris,
Qui nationibus feris
Robur tuum, & potentiam
Planam facis, qui vi tua
Gentem pio Iacobo piam,
Sanctoq́; Ioſepho editam
Clemens redemiſti, & rubri
Duxti per vndas æquoris.
Vt ponti aquæ vidêre te,
Vt vidit æquor, numinis
Præſentiam admirabilem
Statim reformidans patris
Cœleſtium, & mortalium,
Greſſus adorauit tuos:
Vndæq́; commotæ ocyus
Pauêre, ſenſerunt tua
Pertranſeuntis numina.
Nubes aquas dedêre tunc,
Sonum dedêre fulgura
Circùm omnibus micantia,
Quæ tu rubente dextera
Libraſti ad orbis terminos.
Pauêre tunc Ægyptij,
Et rex ſuus, cùm tu bonis
Pertranſeuntibus mare

Deus

Deus fuiſti dux, ita
Vt barbari tuos pedes
Non viderint, cùm per ducem
Moſen, Aharonemq́; eos,
Quibus cauebas, duceres
Vt paſtor in tam pinguia
Idumeorum paſcua.

ARGVM. PSAL. LXXVIII.

Enarrat hoc cantu pius vates quibus
Quantisq́; Hebræos commodis
Deum parens affecerit, quibus nihil
Fingi potes ingratius.

PSAL. LXXVIII. SPINVLAE.

ATtende doctrinam piam gens ô mea,
Auremq́; da iſtis deprecor
Verbis tuam: ſententias ipſe vtiles,
Doctiſſimaſq́; proferam:
Tibiq́; priſcum à me, & genus reconditum
Sermonis explanabitur.
Narremus id, quod olim ab ipſis patribus
Audiuimus certiſſimum,
Vero (quod aiunt) verius, nepotibus
Horum. genus cœlabimus
Noſtrum optimi laudum Dei *preconia,*
Vimq́; eius, & miracula?
Qui ſanxit Iacobo viro ſancto aurea
Lege, ipſe quam pius tulit,
Vt liberis patres ſuis mirabiles
Res eloquantur, liberi
Hinc per manus tradant ſuæ proli ordine

In poſterùm, quæ præpotens
Rerum Deus *mandauit: omni vt tempore*
Suam in Deo *ſpem collocent,*
Vt conſilia, præceptaq́; his non excidant
Dei Deorum: *ne pares*
Fiant parentibus ſuis rebellibus,
Ac perfidis genti improbæ,
Quæ non amans æqui fuit, quæ de Deo
Opinionem tam impiam
Accepit, vt nati Ephraimo ſpiculis
Armati, & arcu in prælio
Sint hoſtibus fuſi: minus ſeruauerant
Legēm Dei, *atque fœdera:*
Mandauerant obliuioni fortia, &
Miranda facta numinis,
Et tanta eis quæ fecerat ſpectantibus
Stupenda præſentiſſimus,
Et improbis quæ fecerat miracula
Olim parentibus ſuis
Tanenſem ad vrbem Ægypti in agro maximo,
Diuiſit vndas, & patres
Per æquor, vt terræ ſolum duriſſimum,
Aduerſa duxit littora:
Clemens die quos nube texit, nocteque
Ignis præiuit lumine:
É ſaxo aquarum flumina elicuit eis
Sitientibus: qui mox tamen
Peccant in ipſum ingrati, & incen dunt Deum
Ira, atque in horridis locis

Tentant, & experiuntur ipſum: hîc vt ſciant
Quid poßit ille præpotens
Cæleſtium rex, & pater mortalium.
Ergo impudentes pro ſua
Libidine audent à Deo *contendere*
Eſcas, loquentes in patrem
Huiuſmodi inter ſe, An poteſt nobis Deus
Noſter parare hîc pocula,
Dapeſq́ inhoſpitali in hoc loco? an poteſt
Gentem hîc Hebræam paſcere?
Miranda prorſus cæcitas mortalium:
Quem viderant aquam edere
Et flumina è ſaxo, verentur vt cibum,
Carnéſue poßit is dare.
Quare furens iratus eſt eis Deus,
Exarſit, indignatio eſt
Iacobi, & Iſraëlis in durum genus
Accenſa: quòd iam ſoluerent
Fidem, nec ipſum crederent poſſe omnia,
Et velle ſuppeditare eis,
Quæ poſtularet vſus, & neceßitas
Terram in beatam euntium.
Mandauit ergo & ætheri, atque nubibus
Portiſque cœli, candidum
Vt manna panem cœlitum ſtatim darent:
Dedêre: mirantes edunt,
Explentur: imperium, & poteſtatem ſui
Vltra modum ſtupent Dei.
Rex ſummus Eurum, & flare iußit Affricum,

Is,

Is, cuncta cui deſeruiunt:
Tantamque carnis, & volucrum copiam
Pluit pater cœleſtium,
Arenam vt æquarit marini littoris:
Tentoria has ad omnia
Per caſtra ſeminauit. hi ſe molliter
Curant, cibis ſe ingurgitant,
Eſcas adepti, quas cupiuerant ſibi.
Sed antè, quàm ventri ſatis,
Gulæque feciſſent, (erant adhuc eis
Dapes in ore) numinis
Inuaſit hos ſui furor: qui diuites,
Primarioſq; ſuſtulit
E gente Iudæa: iſti iniquè ſed tamen
Seſe gerunt, & impiè.
Miraculorum hos magnitudo, aut ſupplici
Nequiuit experientia
Adducere, vt fidem locarent in Deo,
Ipſiq; ſe committerent:
Tanta eſt eorum peruicacia, & ſcelus.
Per vanitatem, & crimina
Ætatem agunt, noxaq; vitæ finiunt
Summam ocyus breuiſſimam:
Qui dum piaculi ſui pœnas luunt,
Videntur agni maximè,
Quòd in Deum commiſerint, quòd illius
Iuſſum leues contempſerint.
At non ſcelus dolori eis eſt, ſed graues
Tantùm vices, quas ſuſtinent:

Veniunt maligni non patris cauſa ad patrem:
Præ ſe ferunt cultum Dei,
Incluſa cœlatur ſed infidelitas
In pectore. illis attamen
Lugentibus clemens pepercit conditor,
Nec perdidit nefarios
Cœtus eorum: ſed furorem reprimens
Miſertus eſt, mortalium
Infirmitatis & memor dementiæ
Queis euolat mox ſpiritus
Hinc, & redit nunquam priores ad domos.
Quoties Deum temnunt pium?
Quoties & illum in ſolitudine irritant?
Frequenter ad piacula, &
Nefas reuerſi, prouocant iram patris
Cultu Deorum gentium:
Sanctiſsimi Iſraëlis & ſummi Dei
Obliuione conterunt
Mirandum opus, ac dexteram inuictiſsimam,
Qua hos vindicauit à feris
Ægyptijs, ac ſeruitute barbara,
Cum rerum ibi miracula,
Oſtentaq́, in Tanenſi agro Hebræis dedit:
Omnino quiſque eſt immemor
Superbæ vt Ægypti in cruorem flumina,
Omneſque lymphas verterit,
Ne potus eſſet barbaro, vt compleuerit
Ægyptiam moleſtia,
Muſcijſque, raniſque oram: vt arua pinguia

Bru-

Bruchis dederit edacibus,
Vel vt locuſtis exedenda gramina
Commiſerit virentia,
Vt grandine horrida arbores, moros fera &
Vites pruina abſumpſerit,
Vt grandine illorum greges, iumentaq́;
Cœleſtium rex fulminans
Contriuerit furore concitus, malum
Vt hos repentè afflixerit
Per nuntium, vtq́ue morbo eos addixerit,
Neciq́; crudeliſſimæ,
Iſtas vt oras vulnerans extinxerit
Vos peſtilentia impios,
Vnà immerentes & boues, vt filios
Primò editos occiderit
Mortalium, boumq́; Chamæorum, vti
Qualis bidentes per loca
Deſerta paſtor aſſolet perducere,
Gentem ſuam ipſe præuius
Saltus per inuios DEVS *conduxerit,*
Monteſq́; ſolitudinis,
Et tutò, & abſque militum regis metu,
Vnda maris quos obruit,
Vt duxerit ſedem in ſacram, & montem, ſua
Is quem parauit dextera,
Iſtinc vt incolas eis exegerit,
Et nationes impias,
Vt hoc ſolum ferax eis diuiſerit,
Et hoſtium vrbes, & domos,

Quas illico Hebræis habendas tradidit.
Vbi tamen tentant Deum,
Furoreq́ incendunt, quòd almi non tenent
Legem patris ſanctiſſimam:
Iuxtà rebellant, vt patres, & liberi.
Herum ſuum qualis petit
Effractus arcus, talis Hebræus Deum
Offendit, irritans adhuc
Aris, ſacellis, diiſq́ fictis pluribus,
Quos impiè demens colit.
Quod ſentiens huius Deus *quàm maximus*
Igneſcit ira, & protinus
Hunc temnit, execratur, & tentorium
Silontis illud deſerit,
Quod ipſe, vti ſacrarium almi numinis
Mortalibus conſtruxerat.
Quin & ſacroſanctum ipſius gentis decus,
Arcam vocant quam myſticam,
Fero dat hoſti: hæreditatem offert ſuam
Morti horridæ pulcherrimam:
Duro iuuentam, & virgines ferro necat,
Quos nemo luget: enſeque
Stricto ſacerdotem, atque viduam ſauciat,
Quorum vicem nullus dolet.
Nanq́ excitatus almus eſt, vt dormiens,
Deus, vir vt mero obrutus:
Statimq́ deorſum vulnerauit hoſtium
Gladio ſuorum, opprobrio
Affecit hos iugi, atq́ contumelia.

In eligendo hinc principe,
Sauli interempto qui duci ſuccederet,
Omiſſa Ioſephi tribu,
Et Ephraimi paſtoris, clemens pater
Repente Iudæa à domo
Exciuit hunc regem ad Sionem qui thronum
In vrbe amata poneret,
In qua ſacrarium ſuum, vt palatium
Regale condidit ſibi,
Quod eſſe vult, vt terra, fundatiſſimum
In ſempiterna ſecula.
Iſtucq; delectum euocauit Dauidem
A paſcuo, atq; ouilibus,
A fœta agenda buccula, & tauro, à capris,
Lætoq; curando grege,
Iſtos ad Hebræos peculium ſuum,
Atq; ad Iacobi poſteros
Omnes regendos: ille quos pro viribus,
Vt poſcit innocentia,
Fidelitas, rectumq;, prudentiſſimus
Regit Deo *ſummo auſpice.*

ARGVM. PSAL. LXXIX.

Iudæa deplorare gens videtur hic
Incommoda, Antiocho à truci quæ pertulit.

PSAL. LXXIX. SPINVLAE.

TVum in peculium Deus
Hæreditatem in nos tuam,
Fecere gentes impetum
Contaminatæ, limina

Et polluerunt aurea
Templi, ſacram Hieroſolymam
Et eruerunt funditus:
Qui vbi ſaciauerunt ſuum
Noſtro efferati ſanguine
Ferrum, volucribus cibum, &
Feris dedêre corpora
Colentium numen tuum:
Fudere eorum ſanguinis
Per ciuitatem flumina.
Non vllus eſt, cadauera
Qui horum ſepulchro condere
Poßit, velitue. en omnibus
Oſtentui (vt vides) ſumus.
Pater quouſq; iraſceris?
Furore ſemper concitus
Eris? tuam iram in improbas
Terras, pium numen tuum
Quæ non adorant, euome:
Tanta eſt quibus ſuperbia,
Genus Iacobi vt perdere
Sint auſæ, & aras numinis,
Vrbemq; ſanctam euertere.
Commiſſa clementißime
Rex, noſtra ne puni obſecro,
Benignitate ſed tua
Nos maxima afflictos nimis,
Et perditos complectere:
Almiq; ue nos pro gloria,

Fa-

Famaq́ nominis tui,
Seruos tuos iam vindica
Ab hoſtibus, iam (quæ eſt tua
Rex ſumme, liberalitas)
Placare, condona ſcelus
Nobis: parens cœleſtium,
Fac oro ne gentes rogent
Poſthac, Vbi eſt horum Deus?
Nobis rogo ſpectantibus
Palàm vltio fiat pij,
Innoxijq́ ſanguinis
Numen colentium tuum
Fuſi, & necem nece expia.
Admitte conſpectum in tuum
Iam lacrymas gementium,
Luctuſque vinctorum: & tua
Qui deſtinantur hoſtibus
Cædi, aſſeras iam dextera,
Ac barbari infeſtiſſimi,
Numen tuum quod ſpernere
Sunt auſi, eis non par pari,
Sed partibus rependito
Quàm plurimis maius malum.
Atq; interim nos gens tua,
Gregeſq́ paſcui tui
Grates agemus numini
Pater tuo, atq; litteris,
Quàm dignus es qui laudibus
Feraris, hæc mandabimus.

ARGVM. PSAL. LXXX.

Sequentis argumentum & eſt cantus idem,
Quo gentis Hebrææ canit ſanctiſsimus
Vates ſecundas res, minusq; proſperas.

PSAL. LXXX. SPINVLAE.

O Qui pium Iacobi, atq; Ioſephi genus
Et Ephraimi poſteros,
Et Beniamini, cum Manaßis liberis,
Qualis bidentes aſſolet
Curare paſtor, nos regis nobis tuam
Aurem dato iam deprecor.
O qui Cherubinis, eam ſeruantibus
Arcam, vnde reſponſa edere
Soles Hebræis, continenter aßides,
Nobis ades tandem obſecro.
Conſurge, vi tua hoſtibus nos libera,
Seruiſq; opem feras tuis.
Ad nos redi armipotens Deus, nos reſpice,
Vt ſit comes nobis ſalus.
Quouſque ſuccenſes pater, genti tuæ?
Quouſq; contemnis preces?
Quouſq; luctu nos ales heu pro cibo?
Quouſq; triſte poculum
Hoc non mero, ſed lacrimis plenißimum
Afflicto Hebræo porriges?
Quouſque certatim rogo hunc irrideant
Vicini, & hoſtes barbari?
Ad nos redi armipotens Deus, nos reſpice,
Vt ſit comes nobis ſalus,

Sicut

Sicut fuit, nos cum eruiſti Ægyptia
A ſeruitute, transferens
Tellurem in hanc eliminatis gentibus
Nequiſſimis: vbi tua
Nos dextera, velut colonus vineam,
Ipſe coluiſti diligens,
Vitemq́, purgaſti: hinc ſuis radicibus
Humum occupauit vinea
Regionis huius, atque ramus vmbrifer
Montes opacos texit, ac
Ingentia æquarunt cedrum eius brachia,
Et palmites ad æquora
Extendit, & propagines ad alueum
Iordanis ipſum maximi.
Quid ſepta fregiſti ipſius nunc? quid pater,
Qui tranſeunt, vaſtant eam?
Syluestris euertit aper, & perdunt feræ.
O rex potens, exercitus
Cui cœlitum parent, Olympo reſpice,
Conſideraq́, hunc vineam
Conſideraq́, vineæ ſolum tuæ,
Et ipſius propagines:
Attende opus, quod roborauer as, tuum
Deflagrat ignibus, iacet
Euerſa vitis: funditus certè, niſi
Tu fers opem, peribimus.
Ades rogo nobis, duciq́, maximo,
Quem præparaſti vindicem
Opponere aduerſarijs noſtris Deus,

Genus tuum ſerua obſecro:
Ne deſeramus te, ſed vſq; maximo
Obtemperemus numini.
Ad nos redi armipotens Deus, nos reſpice,
Vt ſit comes nobis ſalus.

ARGVM. PSAL. LXXXI.

Hortatur ad feſtos celebrandos dies
Gentem ſuam, ac piè colendum cœlitum
Patrem, ipſius ſimul ſtudia quàm maxima
Canens in Hebræos, & admonens, Dei,
Legiſq; contemptus ſacræ quàm obſit malis.

PSAL. LXXXI. SPINVLAE.

VOs ô boni exultate cuncti gaudio
Coram Deo, nos qui iuuat:
Agriq; lætis iam ſonate cantibus,
Laudateque Iacobi Deum:
Cantate numen optimum, atq; tympana
Pulſate: citharæ, & nablij
Mouete contentas fides, ac buccinam
Inflate feſta in hac die:
Quandoquidem Hebræis hic eſt & ritus, &
Mos iure traditus Deo
Iacobeorum, oraculo quem iuſſit, vt
Seruent Ioſepho ſati.
Ægyptijs cùm finibus gentem ſuam
Educeret, cùm ipſum Deum
Loquentem Hebræi exaudiere cominus,
Cùm faſce eos numen graui
Leuaret, atq; ollis coquendis vi, à malis
Cùm vindicaret omnibus,

Mo-

Morem imperauit hunc Deûm rex maximus
Manere eis in poſterum
Ex his vocaſti anguſtijs me (ait Deus)
Tibi locutus ſum latens
In hoc tonitruo: fuiſti non tamen
Memor poteſtatis meæ:
Qui cùm tuum explorare vellem animum, tibi
Repente aquam omnem ſuſtuli.
Sed gens mea, Iſraëlis ô genus pij,
Promitto quæ ſanctiſſimè
Tibi, accipe oro: ſi audies me, ſi patrem
Non alterum tibi coles,
Nec ſupplicabis gentium vanis Deis,
(Ego ipſe ſum Deus tuus,
Qui te olim ab Ægypto reduxi) quod cupis
Pete, & repulſam non feres.
Sed conſilia tempſit Dei gens hæc ſui:
Minus Iacobi filij
Mi paruerunt: quos malum genium ſequi
Sum paſſus, & cupidinem.
Quòd ſi mea hæc gens obſecundaſſet Deo,
Parens vt Iſraël ſuus,
In longitudinemque conſulens ſui
Si legem amaſſet numinis,
Feciſſem in hoſtes eius impetum, & breui
Fudiſſem ad vnum omnes eos,
Et ſubdidiſſem illos ei infeſtos Deo:
Ac ipſa durans iugiter
Hic floruiſſet maximè æuo, liberis,

Gratia, opibus, potentia:
Cui fertiles dediſſem agros, & prædia, &
Rerum affluentiam omnium.

ARGVM. PSAL. LXXXII.

Deum arguentem iudices gentis ſuæ
Inducit hoc poëmate.

PSAL. LXXXII. SPINVLAE.

DEus Deûm inter principes
Stans, & potentes edocet,
Quid munus horum poſtulet.
Quouſq; iudicabitis
Duces iniquè, & improbis
Viris (ait) fauebitis,
Bonum opprimentes impiè?
Seruite recto, & pauperem,
Et tenuiorem iniuria
In ius vocatum abſoluite:
Defendite innocentiam,
Et vindicate omnem pium,
Et infimos gentis meæ
A diuitis potentia,
Ac impiorum iniuria.
Sed fruſtra eos, inquit Deus,
Qui conſilia temnunt mea,
Pergo monere: en diligunt
Iſti ſuæ ignorantiæ
Cuncti tenebras, atque amant
Iniquitatem: atq; hinc fit, vt
Humana cuncta plena ſint

Con-

Confuſione maxima,
Necnon tumultu pergraui.
Rector Deorum vos ego,
Vos nominaui ô iudices,
Deos, Deiq; filios
Et optimi, atque maximi.
Veruntamen peribitis,
Vt inſimi, ob veſtrum ſcelus.
Num iudices oro, & duces
Alij, & tyranni per nefas,
Per crimen iſtic iugiter
Ætatem agentes impiè,
Hæc arma vitarunt mea
Triſulca, & iras fulminis?
Sed quando noſtri iudices
Liquere iuſtitiam Deus,
Tu ſurge, tu, atque iudica,
Dans iura nationibus,
Et vniuerſis gentibus.
Supreme rex mortalium
Debentur hæc tibi omnia:
In poſterumq; vnus reges
Terras, & humanum genus.

ARGVM. PSAL. LXXXIII.

In proximas gentes, Hebræos quæ petunt,
Factaq; coniuratione acre inferunt
Bellum in Dei gentem, precantur numina
Patris Iacobei timentes admodum.

PSAL. LXXXIII. SPINVLAE.

In

IN impiorum crimine oro ne Deus
Silens adhuc connixeris:
Vlciſcere hoſtes numini infeſtos tuo:
Tumultuantur, efferunt
Caput ſuperbè, machinantur in pium
Genus Iacobi. Rex potens
Quæ concitatio ſit horum tu vides,
Et quanta conſpiratio.
Adſitis, iſtos deleamus, inquiunt:
Vt nulla nomenclatio
Poſthac ſit Hebræorum in hoc orbe amplius.
Quid? ecce coniurant ſimul,
Fœduſq; iungunt in te Agareni, incolæ
Idumeæ, acreſq; Tyrij,
Sæui Moabitæq;, Palæſtinaq;,
Et Amalechitæ efferi,
Et nata ab Iſmaële natio frequens,
Et caſtra Gebalenſia,
Necnon & Ammonitæ, & Aſſyrij impij,
His improbi Loto ſati
Omnes opem in primis ferunt pro viribus,
Quibus caue oro, vt Siſaræ,
Ac Madiantis, vti nequiſſimo
Supreme caniſti pater,
Iabino ad vndas fluminis, quod nominant
Ciſſonem: ad Endor qui ſimul
Periere paſſim inconditi agris pinguibus:
Quin tracta eos numen meum,
Orebum vti, Zebum, Zebamque, & Salmanam

Du-

Duceſque eorum deleas,
Sacrarium occupare qui ſtudent tuum.
Reddas eos pares rotæ,
Quæ non valet conſiſtere, huic vel pulueri,
Quem turbo latè diſijcit.
Vti nemus, gementis aut ſyluæ comas
Auarus ignis deuorat,
Sic ipſe tempeſtate eos vexa horrida,
Sic turbine impedi tuo.
Vultus eorum, nomen vt tuum vocent,
Pudore quæſo contege:
Fac erubeſcant, afferas moleſtiam
His vſque, turpiter occidant.
Terrarum vt orbis ſentiat totus Deum
Vnum eſſe mortalibus,
Seruare poſſe, quos amant, fictos Deos
Ne ſe quidem in periculis.

ARGVM. PSAL. LXXXIIII.

Quanam teneretur videndi cœlitum
Summi patris templum cupidine hic canit,
Quò non valebat ire per Saulem impium.

PSAL. LXXXIIII. SPINVLAE.

AMabilem ô ſedem tuam
Deus potens in prælio,
Exopto quàm mirum in modum
Hac gente adire cum mea.
Prægaudio mens, & caro
Geſtiuit almo in nomine
Summi patris cœleſtium.

Vel paſſer inuenit ſibi
Caras domos, hirundoq;
Pullis ſuis aram ad tuam
Mira arte nidum fabricat.
At ipſe numen ô meum,
Deus potens in prælio,
Quando ſacroſancti tui
Videbo fani altaria?
Iſtic beati ſunt qui habent,
Et continenter te canunt.
Beatus ille, cuius es
Tu robur: ex animo tuas
Is concinit laudes, quaſi
In valle, quæ puris aquis
Sit fontium pleniſſima
Vſq; ambulat: cumq; hunc ſitis
Æſtina adurit, hîc bibit.
Verùm piè qui prædicat
Hæc, quæ tibi placent, Deûm
Is munere exornabitur,
Crementa virtutum ſedens
Tuis in ædibus capit,
Quoad veniat ad cœlitum
Regem, Sionem qui colit.
O rector armipotens meam
Tandem audias rogo precem:
Deus Iacobi, da tuam
Aurem mihi tandem obſecro.
Qui nos tegis, iam reſpice

Tui

Tui ad ducis vultum, ad pios
Conuerte iam tua lumina.
Exopto, votiſq́, omnibus
Tuum expeto ſacrarium
Adire ab exilio graui:
Quandoquidem ſolus dies
Et ſanctè ibi actus, & piè
Eſt anteponendus decem
Luſtris, quibus reges agunt
Ætatem in omnibus bonis.
Quare iacêre ego hæc ſacræ
Malim domus ad limina
Dei mei deſpectus &
Viliſſimus, quàm in ædibus
Amplis morari diuitum.
Viro innocenti, & optimo
Iſtis moranti in ædibus
Sol eſt pater cœleſtium
Mentem eius augens, nutricans,
Senſuq́, iuſtitiæ illico
Pulſis tenebris omnibus
Erroris afficiens ſuo
Grato, & ſalubri lumine.
Viro innocenti, & optimo
Iſtis moranti in ædibus
Firmiſſimum eſt ſcutum Deus,
Ab ictibus quo hoſtis feri
Tuetur omni tempore
Ipſius innocentiam.

Deus perennis omnium
Eſt fons bonorum, vnde in pios
Omnis animi candor fluit,
Et ſanctitas, & gloria,
Pax, vita, & immortalitas.
Beatus ille, qui ſuam
In te pater, ſpem collocat.

ARGVM. PSAL. LXXXV.

Sanctiſsimus vates canit tempus fore,
Deum parens cùm filium per vnicum
A ſæua Erynni, aſperrima tyrannide
Cunctisq́ liberaret humanum genus
Malis, & æquum, paxq́, cùm & clementia
Verumq́ florerent in oris omnibus.

PSAL. LXXXV. SPINVLAE.

PRæſens fuiſti conditor mortalibus,
A ſeruitute barbara
Pius Iacobi vindicaſti liberos,
Commiſſa condonaſti eis,
Et crimina omnia: ac furoris impetum,
Iramq́, poſuiſti tuam.
Conuerte mentem ad te, & voluntatem tuæ
Gentis, ſalus noſtra ô Deus:
Tandem tuam indignationem ſoluere
Matura. an vſque filijs
Parens pie, iraſcêre dulcibus tuis?
An vſque tantum incendium
Tui furoris iſto ales ſub pectore?
Quin lenitatem ad patriam
Rediens, ſalute munera natos tua?

Lætentur vt mirum in modum,
Benignitatem ſentiant Deus tuam,
Defenſione gaudeant.
At poſt preces oraculum eius audiam,
Mentem qui habet viri boni,
Qui ſpero pacem nuntiabit, proſpera
Suiſq; natis omnia,
Vitam perennem, & gaudium: ne rurſus hinc
Vertantur ad dementiam.
Clemens adeſt colentibus numen pater,
Seruat, tuetur, protegit:
Vt gaudeamus regis has cœleſtium
Terras habere gloriam:
Pietas, fideſq; hîc iunctæ erunt, ſe diligent
Pax, iuſtitia: cultus Dei
Rituſq; veri in terra erunt. in gratiam
Eſt nos recepturus pater,
Noſtris benignè qui faciet his omnibus
Terris, quæ erunt vberrimæ,
Erunt feraces atque germanum edere
Mox æquum eas mirabimur.
Viam cauebunt tunc boni ne deſerant,
Quæ ducit ad ſedes poli.

ARGVM. PSAL. LXXXVI.

Precatur hoc ſuauiſsimo poëmate,
Ipſum vt Deus defendat à tot machinis,
Ac hoſtium inſidijs, & vt mentem ſuam
Amore virtutis piæ accendat, ſimul
Patris poteſtatem, & canit clementiam.

PSAL. LXXXVI. SPINVLAE.

AVres mihi tuas, inops qui ſum nimis,
Et pauper, applica Deus,
Ac ſupplicem benignitate pro tua
Orationem exaudias.
Quando innocentiæ, pater, ſum deditus,
Tibi & mea ſpes nititur,
Animam meam tuere amantis numina,
Et me tibi ſerua obſecro.
Miſerere iam mei Deus, totos dies.
Qui numen inuoco tuum:
Serui tui, quam tollit ad te rex Deûm,
Animam rogo iam recrea.
Si tu benignus es: bonuſq́, ſi pater
Procliuis ad clementiam,
Si tu vocantes reſpicis, tandem meam
Precationem exaudias,
Tandem tuas aures meæ voci dato.
Te ſemper inuoco, mihi
Aduerſa quoties accidunt, qui me ſoles.
Audire præſentiſſimus.
Quis eſt eorum, qui Dei *à mortalibus*
Hic nominantur, qui tibi
Sit comparandus? non opus quidem tuum
Valet imitari quiſpiam.
Quare futurum hoc eſt vt omnes gentium
Te ciuitates, dijs ſuis
Repente contemptis, colant verùm Deum,
Qui mira ſolus efficis.

Verùm

Verùm vt tui ſit veritate numinis
Nixa hæc ratio vitæ meæ,
Mihi tui monſtrato recti ſemitas:
Mentem excita aſsiduè meam,
Vt ſeruiat tibi, tibiq; obtemperet.
Nomen celebrabo tuum,
Et vſq; laudibus feram te rex Deûm
Numen meum, pro viribus:
Quòd ſumma tua animam meam clementia
A faucibus lethi eruit.
Sed arrogantium manus, caterua q;
Crudelium in me machinans
Inſurgit æqui non memor tui Deus.
Quare ſator cœleſtium,
Qui iraſceris ſerò, & benignus ad fidem
Propenſus es, me reſpice:
Miſerere ſerui iam tui, meq; aſſere
Deus, tua ſerua editum:
Defende me tua manu, graui hoſtium
Ab impetu ruentium,
Salute dona: & ede ſignum aliquod tuæ
In me voluntatis, truces
Vt barbari cogantur hoſtes protinus
Iſti fateri, me tibi
Cariſsimum eſſe, te mihi ſuccurrere,
Afferreq; omne gaudium.

ARGVM. PSAL. LXXXVII.

Gregem hoc piorum hymno celebrat, ciuitas
Quam ſignificat Hebræa, præſtantiſsima,

Et gentium omnium ſalutem præcinit.

PSAL. LXXXVII. SPINVLAE.

ESt ciuitas montem ad Sionem condita,
Excelſa cuius mœnia,
Domoſque plus amat Deûm rex maximus,
Portaſq; fundamentaq;,
Quæ iacta ſunt in montibus ſacris, quàm ea
Prolis Iacobi vilia
Tentoria. Omnes ciuitas ſummi patris
Quàm mira de te prædicant.
Se conferent ad te, ſupremus de quibus
Cœleſtium rex ſic ait:
Numen quòd Egyptus meum, & Babilonia
Norunt, ero illarum memor.
Quin & Palæſtina, Æthyopiaq;, & Tyrus
Venient in vrbem numinis.
Quòd natus eſt ibi Deûm rector potens,
Dicetur: Olim plurimi
Sunt editi ſacra vrbe mortales viri,
Nunc ille natus eſt ibi,
Ipſius vrbis qui alta poſuit mœnia.
Ortum eſſe ibi ſummum ducem
In gentium annales feret Deûm ſator.
Quò ciuitas Dei *in te erit*
Canentium, & ſaltantium præ gaudio
Totius orbis concio.

ARGVM. PSAL. LXXXVIII.

Precatio hæc affectibus pleniſsima
Eſt, & querelis: qua ſuam miſerrimus

Afflictio-

Affictionem narrat, implorans opem.

PSAL. LXXXVIII. SPINVLAE.

Deus, Deus ſalus mea,
Nocte, & die precatio
Clamantis hæc tuum mea
Implorat auxilium: ad tuam
Admitte eam ſedem obſecro:
Aures tuas accommoda
Meis pater, ſuſpirijs.
Quibus malis vſq; obruor,
Sic animus eſt mihi ſatur,
Vt vita mea iam proximè
Lethi ad fores acceſſerit,
Vt annumeret his, corpora
Quorum ſepulchris pallida
Conduntur, vt iam mortuus
Ab omnibus dijudicer
Cadaueri ſimillimus
Iam condito, qui traditus
Obliuioni ſit, ſua
Vi deſtitutus, liber his
Rebus, quæ ad hanc vitam attinent.
In ima quare me loca,
Tetram in domum caliginis
Tanto furore atque impetu
Detrudis inclementius?
Quid huc miſellum deprimis.
Vbi angor, & luctus ſua
Habent ſibi cubilia?

Cur me tenebrarum in domum,
Inops qui amicis à meis,
Abominatuſq́, omnibus
Per te meis ſum ciuibus
Sic claudis, vt non hinc queam
Olympi ad auram euadere?
Hinc admodum miſer tamen
Oculis pater languentibus,
Paßiſque palmis inuoco
Toto die numen tuum.
Cur me rogo vis mortuum?
An mira ſentient tua
Rector ſupreme, aut mortui
Olim reuiuiſcent tibi
Tuúmue laudibus ferent
Sublimè nomen ad polos?
Ecquis celebrabit tuam
Clauſo in ſepulchro conditor,
Benignitatem? ecquis fidem
Cantabit ima ad tartara?
An geſta noſcentur tua
Miranda, & ingens æquitas
Orci in tenebris horridis?
Vocem meam ne deſpice
Pater benigne, qua tuum
Imploro numen iugiter
Qua mane præcipuè tibi
Triſtis gemenſque ſupplico,
Cur me repellis, & tua

Auer-

Auertis à me lumina?
Qui præ dolore amentia
Laboro anhelus, anxius,
Qui ſemper à cunabulis
Senſi tuam iracundiam:
Acceßit huc terror tui,
Formidoque ingens numinis.
Tui furoris ſigna ſunt
Clarißima in me, quem tua
Oppreßit indignatio.
Aquis vt obrutus maris
Mercator vndiq; angitur,
Et continenter fluctibus
Vrgetur altis, ſic ego
Vexor malorum anguſtijs
Inops amicis à meis,
Ipſiſq; familiaribus,
Et proximis ab omnibus:
Quos ipſe, ne ſolatium
Vllum foret ſeruo tuo
In tot malis grauißimis,
A me remouiſti pater.

ARGVM. PSAL. LXXXIX.

Vates Hebræus hoc canit poëmate
Benignitatem numinis
Omnem in bonum, & promiſſa facta Dauidi
Summo à parente cœlitum,
Simul querens, quòd ciuitatem barbara
A gente dirui ſuam
Permiſerit, celſi & poteſtatem ducis
Euerti, & aulas ciuium.

PSAL. LXXXIX. SPINVLAE.

SEmper tuam benignitatem laudibus
Clemens pater, cœlo efferam:
Et continenter poſteris fidem tuam
Teſtabor iſtis verſibus.
Perſuaſi ego hanc mihi tuam clementiam,
Fidemque non minus polo
Immobilem manere iugiter datam:
Qui ſic locutus es bonis:
Cum Dauide electiſſimo olim principe
Tam rata iniui fœdera,
Regnum vt ſibi iurauerim, & prolem ipſius
Per fata perpetuam fore.
Quod fortè promiſſum tuum ne quis putet
O præpotens rerum Deus,
Eſſe irritum, aut quòd non vales cuncta, aut tuæ
Promiſſioni non manes,
Ingens Olympus ipſe teſtis eſt tibi
Tua eloquens miracula,
Fidemq́, ſanctorum in virûm frequentia.
Tuam canens his vocibus,
Pater tibi ecquis comparetur cœlitum?
Ecquis Deûm *par eſt tibi?*
Te maius eſt nihil, piorum qui in grege,
Diuûmq́, circunſtantium
Es plus ſatis mirabilis: necnon tuis
Terribilis, ingens, & ſoles
Formidoloſus eſſe ſtipatoribus.
Quid præpotens pater tuæ

Poten-

Potentiæ, & fidei valeo componere?
Fides tibi eſt ſemper comes.
Tu ſolus imperas marinis fluctibus,
Cùm ſidera vnde verberant:
Tu Ægyptijs cladem intuliſti, diſsipans
Manu tua aduerſarios.
Tellus, poli, ingens orbis, atque cuncta, quæ
Amplo ſinu complectitur,
Inſeruiunt Deus *tibi. meridies,*
Septentrio, extrema India,
Ac littus vltimi Britanni de tuo
Quàm glorjantur numine,
Quò vim tuam mouere, robur, & manum,
Et Brachium inuictiſsimi:
Qui cùm tribunali inſides, tibi aſsident
Et iuſtitia, & alma æquitas:
Clementia vſq; te ſociat, & deſerit
Nunquam fides latus tuum.
Beata gens eſt, omnia hæc quæ intelligit,
Quæ gaudio vero fruens,
Cognitio quod parit Dei *clementiæ,*
Exultat. huic certè per has
Vitæ vias, & per tenebras ſpiritus
Splendor tui clariſsimum
Et lumen oſtendit, tuiq; nominis
Iucundum amorem ſufficit:
Vt gáudeat, quòd dignitatis ad gradum
Hanc continenter euehat
Virtus, & æquum iſtud tuum, atq; lenitas:

Quæ ſic piorum fulciunt,
Firmantq́ mentes, vt nec hoſtes improbi,
Nec vlla Erynnis vincere
Neruos eorum poſſit, & fortem manum.
Es ipſe ſcutum omni bono
Sanctiſſime Hebræorum, & alme rex DEUS:
Qui ſic locutus es tuis,
De me pijs futura quondam præcinens
Multò antè in hanc ſententiam:
Quem roboraui adhuc virum, mihi
Ex plebe delectum extuli,
Mihi fidelem comparaui Dauidem
Seruum meum lectiſſimum:
Ipſius vñguento ſacrum linij caput,
Ipſum mea ſic dextera
Firmabo, quem non deſeram, ſic in mea
Fortem ſtudebo reddere,
Vt nullus euerſurus hunc ſit efferus
Hoſtis ſua potentia,
Vt nullus exciſurus hunc ſic impius
Victor parato exercitu.
Nam quotquot ipſi Dauidi audebunt meo
In Marte ſeſe opponere,
Ego opprimam, oſoreſq́ delebo ipſius.
Quicquid DEUS *recepi ei,*
Præſtabo. Collocabit huic potentia,
Virtuſq́ magni numinis
Altiſſimum in locum auream ſedem ipſius,
Cui ſeruient & æquora,

Et flumina, atque nationes exteræ
Ab hoc timebunt principe:
Qui me vocabit & ſalutem, & vnicum
Patrem, Deum, ac numen ſuum:
Hunc regibus ſtudebo terræ, vt filium
Primò editum anteponere:
Præ cæteris illum fauore proſequar,
Ne certa ſoluam fœdera.
Cœlo prius domos refringam, aut ſidera
Extinguam in axe micantia,
Quàm regium auferam thronum eius liberis,
In quo ſedebunt iugiter.
Qui fortè ſi leges meas non tenuerint,
Haud ſe gerentes, vt iubet
Oraculum, vt præcepta poſtulant mea,
Flagris eorum crimina,
Noxamquè vindicabo duro verbere,
Vt æquitati ſeruiant:
Ac non habenis hos remiſsis (vt ſolent
Furore patres conciti)
Sinam perire: Dauidi haud ſoluam fidem,
Seruabo pacta: non erit,
Quod principi ſancto recepi, id irritum.
Ego ipſe cùm iurauerim
Deus meam per ſanctitatem, non minus
Sole aureo, & pulcherrima
Sorore (qui teſtes mihi ſunt in polo)
Cum dignitate eius genus
Seruare fata in ſempiterna ſecula,

An verus ipſe mentiar?
Verùm quaſi horum oblitus heu regem tuum
Videre nunc contemnere,
Excanduiſſe ira, coronamq́, auream
Eius, fide ſoluta, humi
Repente conieciſſe, ſplendorem imperi,
Ac dignitatem maximam,
Decuſq́, confregiſſe: conculcant eum
Hâc tranſeuntes incolæ:
Eſt ecce vicinis ſuis oſtentui.
Quin roboraſti brachia
Manu tua hoſtis eius, & ſiccam Deus
Tu reddidiſti eius hebetem.
Nil huic faues in prælijs: ornareq́,
Sic deſtitiſti nunc eum,
Vt ipſius thronum aureum colliſeris
Humi ſtatim: vtq́, præ malis
Conſenuerit, vultumque aret ruga ipſius,
Canique deforment eum.
Deorum ad hæc pater beate cum tua
Promiſſione congruunt?
Quouſq́, vultum almum, quouſq́, lumina
Auertis? indignatio
Quouſq́, te incendet Deus*? iam cogita*
Hæc vita quàm ſit heu breuis
Mortalium. accedant ei ſi tot mala,
Nec ſit quieſcendi locus,
Non quæſo tu fruſtra videberis hominem
Finxiſſe? ſpiritum quis hîc

Ducit

Ducit pater, qui morte non præceps fera
Rapiatur hinc ad tartara?
Quis vindicare poſſit, vt obijt ſemel,
Pallenti ab Orco vmbram ſuam?
Deûm parens, benignitas vbi tua?
Antiqua vbi illa lenitas?
Et iureiurando fides vbi data
Regi tuo antè Dauidi?
Eſto memor tandem parens opprobrij,
Quo barbarus tuum afficit
Omnis ducem cum gente Hebræa, quo tui
Hoſtes premunt, rideréq;
Audent bonos, qui in te fidem ſuam locant.
At ſanctè, & auguſtè patris
Omnes canant laudum ipſius præconia
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL. XC.

Deſcribit humanæ modum vitæ breuem,
Implorat auxilium Dei, vt qui ſeculis
Alijs opem genti ſuæ ferebat, &
Ornabat illam maximis donis, ita
Nunc ſubleuet, defendat oppreſſam, & tegat.

PSAL. XC. SPINVLAE.

OMni fuiſti ſeculo
Munitus, ac tutiſſimus
Locus pater cuique optimo.
Non montium cacumina
Erexerant adhuc caput,
Non terra viderat ſuos
Colles, & humanum genus,

Non Solem adhuc ſuſpexerant
Ingentis orbis lumina,
Futura cœlitum parens,
Cùm tu videbas omnia.
Terræ, & poli rex præpotens
Semper, fuiſti qui DEUS
Æternitate ab omni, eris.
At nos caduci, flebiles,
Ægrique mortales fero
Obnoxij letho ſumus:
Quos per varia diſcrimina
Rerum, atque caſus ducere
Turpem ad ſenectutem ſoles.
Et cùm ſumus ſenio, ac malis
Infracti, ais, Redite iam,
Redite mortales viri,
In puluerem; vnde vos ego
Effinxi. at orbes annui
Bis mille, quos mortalium
Hîc nemo agit clemens pater,
Perennitati ſi tuæ,
Anniſq; componantur, hi
Punctum quidem ſunt temporis.
Quin curſus hic æui celer
Breuiſsima vt breuiſsimæ
Vigilia noctis euolat.
Vt ſomnium, vtque gramina,
Vt flos agelli, vita ſic
Repente noſtra præterit.

Nos

Nos cadis iratus, furor
Nos enecat tuus, damus
Pœnas tibi omnes criminis
Noſtri, quod ante lumina,
Vultúmque ſcripſiſti tuum.
Excanduiſti, & tempora
Vitæ ſtatim longiſſima
Noſtræ ipſe contraxiſti ita,
Vt ocyus dicto euolent:
Quæ bis, vel ad ſummum quater
Decem annui orbes ſunt: malis
Iuuenta (eorum quæ eſt ferè
Pars melior) eſt pleniſſima
Laboribuſq́, & plurimis
Doloribus. recedimus
Hinc euolantes illico.
Quòd parua ſi indignatio
Importat hæc tot, tantáque
Nobis mala, ecquis poſſit hoc
Comprendere, iræ quanta ſit
Vis, cælitum parens, tuæ,
Qua aduerſus illos vteris,
Qui vitam agunt per crimina?
Ad hunc modum nos obſecro
Breuiſſimos expendere
Noſtræ dies vitæ edoce:
Dicemus vt ſapientiæ
Nos, & ſtudia noſtra omnia.
Reuertere, vſque quò Deus,

 Abes?

Abes? quouſq; nos malis
Relinquis in tantis pater?
Clementia tua citò
Nos quæſo ſatia tandem, vti
Quod reſtat, omni tempore
Lætemur hoc dono tuo,
Et gaudeamus gaudia.
Nos recrea mirum in modum
Parens tot annos, quot mala
Paßi ſumus grauißima.
Fac gratioſa apud tuum
Numen pium ſit gens tua:
Tuere nos, & ſic rege,
Vt vis ſalutaris tua,
Ac lenitas hoc ſupplici
Eluceat noſtro in grege.
Clementia, & benignitas
Nobis DEI *adſit omnibus,*
Nobis vt id feliciter
Succedat eius munere,
Quod aggredimur illo auſpice:
Nobis vt id feliciter
Succedat eius munere
Quod aggredimur illo auſpice.

ARGVM. PSAL. XCI.

Securitatem rex eorum concinit,
Qui cogitationem, & omnem ſpem ſuam
In cœlitum patris locant clementia.

PSAL. XCI. SPINVLAE.

Qui

QVi te patris cœleſtium
Fidei ſtudes committere,
Tutò quidem verſaberis
Vitæ huius in periculis.
Fiducia omnis ſit tibi
Virtute in acri numinis:
Id robur eſt viro bono,
Tutumq́ propugnaculum.
Vitam ipſe defendet pater
A peſte funeſta tuam,
A machinis latentibus,
Ab hoſtis improbi minis.
Volucris implumes vti
Alis tegit pullos, DEus
Te ſic tuebitur, ſua
Parma fideli contegens:
Vt noctis à terroribus,
Iactoq́ ſpiculo die,
Et à tenebrarum abdita
Peſte haud timendum ſit tibi:
Nec à repentino malo
Meridie orto. ſæuiet
Cùm peſtilentia, & impetus
Belli, cadentibus alijs,
Soſpes videbis eminus
Iniquitatis funere
Pœnas dare impios DEům
Regi, quòd hunc neglexerant.
Quòd in DEo *ſpem fixeris,*

Quòd te patri commiſeris,
Auertet omne à te malum,
Cladem à tua auertet domo:
Quin te aliti ſuo dabit
Tuendum, vt obſeruet vijs
Te in omnibus: qui te manu,
Vt ne pede offendas, geret.
Securus inter aſpides,
Pardos, leones, & feros
Ibis dracones, quos tuis
Lætus premes veſtigijs.
Sic de te ait Deûm *ſator,*
Quòd diligit me, quòd meum
Is vſque amat numen ſibi
Notum, ipſe vindicabo eum,
Ac protegam: cùm me ſua
Orans fatigabit prece,
Eum audiam, atque anguſtijs
Præſens manu mea eximam,
Eum beabo, ei Deûm
Et cedet immortalitas:
Felix videbit lumine
Suo, bonis vt conſulam.

ARGVM. PSAL. XCII.

Hoc rex Hebræorum pius poëmate
Feſtis diebus edocet
Conſideranda facta, ſtudiaqúe ipſius
Dei offerenda laudibus.

PSAL. XCII. SPINVLAE.

Pater

PAter ſupreme, conuenit numen tuum
Cantare, laudes dicere:
Clementiam manè, & fidem noctu Deus
Semper celebrabo tuam:
Neruorum & organo decem, cithara, & chely
Diuina ludam carmina.
Me cœlitum parens opus mirabile
Sic omne delectat tuum,
Vt iſtud admirans & exultem, & mea
Rumpam ſono hoc ſilentia:
Quàm mira, quàm præclara facta ſunt tua
Incomparabilis Deus.
Hæc quàm profunda cogitatio fuit,
Qua cuncta depixiſti ea:
Quod neſcit inſanus, quod amens non videt,
Quod impios omnes latet.
Nam captui imprudentis æqua homunculi
Non eſt tua ſapientia:
Non iſte conſilium tenet, quo tu improbum
Excindis, & caues bono.
Quare ſceleſti, & impij, ſeu gramina
Florent agelli, deinde mox
Tu ſempiternus, atque perpetuus eos
Cædens in ignem conijcis
Huiuſmodi, qui ſemper illos ardeat.
Omnes quidem hoſtes numinis,
Omnes quidem hoſtes numinis pœnas tibi
Suæ dabunt ſuperbiæ:
Omnes ſceleſti crimen, & nefas luent

Flammis ſuum perennibus.
Atipſe, quem cœleſtium aura recreas,
Vt Monoceros, potentia
Florebo per te, qui mihi das hoſtium
Meorum, & inſurgentium
In me omnium videre ocellis his meis,
Audireq́; ſuperbas vices.
Verùm pios omnes, vti palmam, aut cedrum
Vt libani, frondeſcere
Mirabor hortis in virentibus DEI,
Erunt vbi vſque floridi.
Ex his pater, qui numen, & robur meum eſt,
Quàm ſit pius dignoſcitur
Et iuſtus, & quàm longè ab eius numine
Iniquitas faceſſerit.

ARGVM. PSAL. XCIII.

Summum Deum canit, polos qui & omnia
Creauit, humanasq́; ſapientiſsimè
Res temperat, gregemq́; ſanctorum virum
Ab hoſtibus tuetur immaniſsimis.

PSAL. XCIII. SPINVLAE.

TErris, Olympoq́; imperat
Supremus ille rex Deûm:
Qui plus ſatis mirabilis,
Ac præditus potentia
Firmauit orbem terræ ita,
Vt prorſus vndequaq; eum
Miremur eſſe immobilem.
Æternitate ab omni habes
Tibi thronum iſtud regium,

Eſſen-

Eſſentiam & tuam Deus.
Eſt maxima inſurgentium
Vis hoſtium in nos, maximus
Eſt impetus, ſed maior es
O ſumme propugnator &
Gentis tuæ vindex, pater
Mortalium, & rex cœlitum,
Qui ſempiternum habes polum,
Et clara torques ſidera.
Quare nihil verebimur:
Quando illa ſunt veriſsima,
Et certa, nobis quæ tua
Deûm parens oracula,
Sorteſq; promittunt, pij
Virûm gregis domum ſacram
Per te fore vſq; ſoſpitam:
Hanc ſanctitate iugiter
Domum tuam ornari decet,
Quæ præſidem omni tempore
Te habet ſibi ſanctiſsimum.

ARGVM PSAL. XCIIII.

In impium, Deiq; prouidentiam
Negantem, & omnes hic bonos ſæuiſsimè
Viros prementem inuehitur, oppreſſos quoq;
Solatur hoc dulci poëta carmine.

PSAL. XCIIII. SPINVLAE.

VLtor Deus iam præpotens,
Iam præpotens vltor Deus
Throno in tuo compareas:
Terrarum vt orbis ſentiat,

Spectetq́ prouidentiam,
Quam negligunt ſontes, tuam.
Conſcende ſedem in regiam,
Conſcende rex æquiſsime,
Ac iudica de gentibus:
Pœnam vt ſuis piaculis
Dignam ſuperbi dent tibi.
Quouſq; rector cœlitum,
Quouſq; ſontes gaudio
Iſti triumphabunt? quoad
Tam peſtilentes, & viri
Nequam loquentur improbè
Se prædicantes, & ſuum
Crimen, ſceluſq́ pergraue?
Sanctam quoad gentem tuam
Perdent, & impetum in tuum
Hæreditarium gregem
Facient ſuperbi, & impij?
Quouſque viduam, & aduenam,
Quouſque pupillos tuos
Ferro necabunt efferi?
En inquiunt, Ignorat hæc
Deus Iacobi, horum nihil
Intelligit ſummus pater.
Audite dementes rogo,
Audite, quos tandem velim
Vera imbui ſapientia;
Qui fecit auditum, minus
Exaudiet? qui lumina

Cunctis dedit mortalibus,
Minus videbit? debita
Qui nationes impias
Pœna afficit cunctas, minus
Vos puniet nequiſsimos?
Is neſcit, omnes qui docet
Scientiam, & ſapientiam?
Sed præpotens rerum Deus
Humana conſilia omnia
Inania eſſe conſpicit.
Quare ipſe iudico admodum
Felicem eum, quem tu Deûm
Parens (tua eſt quæ lenitas
Incredibilis) hîc corrigis,
Tuaſq; leges edoces:
Vt dulcis illi ſit quies
Anguſtiarum in tempore,
Cùm perditi omnes ad vices,
Pœnaſq; rapientur graues.
Ergo hoc peculium tuum
Carum Deus *non deſeres:*
Gentis tuæ non negliges
Iniurias, quam non ſines
Teterrima libidine
Premi impiorum tandiu:
Sed iuſtitia aliquando per
Te rex valebit maximè,
Legeſq; iudicijs, ſui
Quæ perbreui mirabimur

Ha-

Habere amantes plurimos.
At cùm mihi æſtuans ita
Periculo in grauiſſimo,
Quis, dicerem, quis nunc mihi
In impios opem ferat?
Seſe quis opponat meis
Nunc hoſtibus? ni tu pater,
Præſtò fuiſſes mi, illico
Certè periſſem funditus.
Quòd ſi benignè rex Deûm
Meam nequire dicerem
Conſtantiam reſiſtere,
Neruoſq́; magnitudini
Malorum, eras præſtò mihi,
Et iam labantem dextera
Me fulciebas: ſed meum.
Quàm cogitatio mala
Cruciabat animum, tam tua
Hunc recreabant dulcia
Solatia, & benignitas.
Hinc omnium non eſt pater
Supreme, quòd miremur hæc
Præſtare te uiro integro:
Quid eſt tibi mortalium
Commune cum tyrannide?
Qui machinantur legibus
Iniurias, & vim, quibus
Vrbem impij opprimant ſuam,
Morumque cunctos integros,

Qui-

Quibus piorum ſanguinem
Pœnaſq; poſcant efferi.
Sed ipſe rector optime,
Eos paterna iugiter
Pietate tractas, quos regis.
Lætabor ergo, quòd Deus,
Qui numen eſt meum, & ſalus,
Tuebitur me ab hoſtibus,
Et proteget: qui ſpicula
Librata eorum in me ſua
In hos retorquebit manu:
Quin vt merentur crimina
Sua, & nefas, quibus bonum
Semper ſtudebant perdere.
Perdet furens eos Deos,
Qui delet omnes impios.

ARGVM. PSAL. XCV.

Gentem ſuam hortatur Deum ad ſanctiſsimè
Colendum, ab impietate deterrens eam.

PSAL. XCV. SPINVLAE.

ADſitis, & cum gaudio
Deum colamus, qui ſalus
Eſt noſtra: maturemus, &
Agamus illi gratias.
Laudes canamus huic ſimul,
Qui præſtat omnibus Deis,
Eſt numen vnum, & rex potens,
In cuius orbis eſt manu,
Cui terra, monteſq; ardui,

Cui

Cui pontus, atque continens,
Et quæ creauit omnia,
Obtemperant dicto ocyus.
Adeſte, adoremus patrem:
Deo genua flectamus, &
Huic ſupplicemus, qui pius
Dignatus eſt nos fingere.
Ipſe eſt enim nobis Deus,
Et nos ſumus grex, quem ſua
Ducit manu, grex victitans
Illius vſq; pabulo,
Modò eius omni tempore
Hîc pareamus vocibus,
Vobis nec obdureſcat hîc
Animus, nec inſit læua mens,
Vt patribus veſtris, Deus
Inquit, meæ potentiæ
Fecere qui periculum
Rebellione maxima:
Tentare quid poſſet Deus
Sunt auſi: opus quare meum
Videre patres improbi,
Videre ſolitudines.
Annos quater denos mala
Cum natione hac maximum
Fuit mihi negotium,
Vt dicerem ſæpiſſimè,
Tota errat iſta gens via,
Opus meum ignorat: pater

Iura-

Iuraui eis iratus, haud
Beata viſuros loca.

ARGVM. PSAL. XCVI.

Et præcinit Chriſti Dei regnum omnibus,
Et ſuadet, vt veri parentis cœlitum
Cultum Dei amplectantur: atque negligant
Fictos Deos, & ſacra vana numinum.

PSAL. XCVI. SPINVLAE.

TErrarum in orbe magno agentes iam nouo
Laudate patrem cantico,
Benignitatem ad aſtra tollite ipſius,
Illique habete gratiam:
Ampliſſimumq́ gloria exteris Deum
Cantate nationibus:
Portenta magna, & ipſius miracula
Narrate cunctis gentibus,
Narrate nationibus quàm maximum
Deum eſſe, maiorem eſſe, quàm
Vt noſtra laus celebret, eſſeq́ omnibus
Hoc numen auguſtiſſimum,
Illis verendum, quos Deos eſſe autumant,
Queis totus orbis ſupplicat,
Sunt muta ligna gentium omnium Dei
Ficti, carentes ſpiritu:
Verùm Deus noſter poteſtate eſt ea,
Immenſum Olympum vt fecerit,
Et quicquid eſt magnum, decorum in ipſius
Conſpectu: & ingens numinis
Vis, ſummaq́ in ſanctiſſimo iſto cernitur
Polo vndequaque gloria.

O gen-

O gentium tribus poteſtatem Deo,
Et vim, atque maieſtatem eam
Tribuite, quæ eius nomini reſpondeat.
Ipſi feratis munera,
Deiq́, fumet ara veri, ſupplices
Factorem adorate omnium,
Non iſta ſigna, quæ furor mortalium
Excogitauit impius.
O terra numen hoc cole, & vos totius
Ingentis orbis incolæ
Hunc prædicate nationibus Deum
Regnare, qui manu ſua
Immobilem creauit orbem hunc, omnibus
Per æquitatem gentibus
Iura hæc daturum, quæ vel Aſtræam æthere
Ducant priores in domos.
Quare polus cum cœlite omni gaudeat,
Tellus & ipſa geſtiat.
Boans & æquor mugias, & quæ omnia
Tuis latent in ſedibus.
Vrbes, & agri cantibus lætiſsimis
Sonate: ſyluæ ruſticæ,
Et, quas alunt, cunctæ tripudient arbores.
Seruare qui nos aduenit
Iudex futurus omnium iuſtiſsimus,
Conferte vos illi obuiam.

ARGVM. PSAL. XCVII.

Idem canit regnum, omniumq́; gentium
Conuerſionem ad ſacra veri numinis.

PSAL. XCVII. SPINVLAE.

DEus quòd in cœlo regit
Terras, & humanum genus,
Et continens, & inſulæ
Cunctæ triumphent gaudio.
Qui rector alto cùm polo
Ad iudicandum his omnibus
Huc venerit de gentibus,
Caligo, nubeſq; ipſius
Sedem auream circundabunt.
Illi aſſidebunt in throno
Et iuſtitia, & alma æquitas.
Tellus eum præcedere
Ignem malignos vndique
Vrentem, & has mortalium
Viles domos mirabitur.
Totum per orbem fulgura
Ita is rubente dextera
Librabit ira percitus,
Vti videns præter modum
Tellus ſit exanguis ſtatim
Futura. præ metu ardui,
Vt cerula ad prunas ſolet,
Montes liqueſcent illico
Summi ad Dei præſentiam,
Cui terra, Olympus, æquora
Deſeruiunt & omnia:
Qui tam benignus eſt, vti
Quocunque cœlites prius,

Hoc eſt, viros ſanctiſsimos,
Ad nuntiandum miſerit
Quid æquitas poſcat, Deus
Quod poſtulet vitæ genus,
Quàm iudicet de gentibus.
Cuncti ergo cùm exaudiuerint
Ipſius imperium patris,
Ac gloriam eius viderint,
Iſti erubeſcant, qui Deos
Fictos colunt, & per ſcelus
De his gloriantur, impij.
Nos gloriari poſſumus
De numine hoc noſtro, boni
Eſt magnitudo cuius hæc,
Vt vniuerſi illum Dei,
Deæque adorent ſupplices.
Quod audiens lætabitur
Vrbs ad Sionem condita,
Et cuncta Iudææ oppida
Gentis probantis hæc tua
Rex iudicia, queis impios
Necas, boniſque proſpicis:
Quæ geſtient prægaudio,
Terras Deus quòd præpotens
Vnus regis, quòd omnibus
Prælatus es Dijs gentium.
Vos ô qui amatis hunc Deum,
Verum, ſcelus odio, & nefas
Habete: nam innocentium

Vitam

Vitam ſuorum vindicat
Ab impiorum vi, & manu.
Ipſi ergo ſemper à malis
Diſſentiamus obſecro:
Non improbo quidem, at pio
Viro, atq; ſancto naſcitur
A patre lux, & gaudium.
Quare boni lætamini,
Voſq; exilite gaudio
Pij, colentes auream
Virtutem, & innocentiam.

ARGVM. PSAL. XCVIII.

Sequentis argumentum & eſt cantus idem.

PSAL. XCVIII. SPINVLAE.

TErrarum in orbe magno agentes iam nouo
Laudate patrem cantico:
Benignitatem ad aſtra tollite ipſius,
Miranda qui ſolus facit:
Qui Brachio, atq; dextera nobis ſua
Opem, ſalutemq; attulit:
Per nos ſalutem qui ſuam dignatus eſt
Vulgare: nationibus
Qui fecit æquum incognitum palàm ſuum
Clemens ſuæ fidei memor,
Necnon & Iacobi in genus clementiæ.
Cunctæ ſalutem, cuius eſt
Autor Deus, nouere ſedes barbaræ
Terrarum ad oras vltimas.
Vrbes, & agri cantibus lætiſſimis

Sonate, ouantes plaudite,
Adſitis, ante numen aduentans pium
Cithara ſonate, inflectite
Iunctamque voculam chely, atque buccinas
Infletis, & cauas tubas.
Boans & æquor mugias, & quæ omnia
Tuis latent in ſedibus.
Et vos aquæ, fontes, lacus, & flumina
Deo ſimul complaudite:
Vnaq; montes exilite gaudio.
Seruare qui nos aduenit
Iudex futurus omnium iuſtiſsimus,
Conferte vos illi obuiam.

ARGVM. PSAL. XCIX.

Hic prædicat rectum Dei, & clementiam,
Omnesq; adhortatur Dei ad cultum bonos.

PSAL. XCIX. SPINVLAE.

DEus quòd in cœlo regit
Terras, & humanum genus,
Timore contremiſcite
Ingentis orbis incolæ.
Quòd myſticam ſeruantibus
Arcam Cherubinis Deûm
Pater ſupremus inſidet,
Genti ſuæ vnde oracula,
Soletq; ſortes edere,
Tu commouere maximi
Tellus Dei præſentia.
Quòd ciuitate in condita

Mon-

Montem ad Sionem magnus eſt
Deus, potens quòd omnibus
Terris parens eſt agnitus,
Numen ſacroſanctum ipſius,
Verendum, & auguſtiſsimum
Omnes ad aſtra tollite.
Pater beate, ſis licet
Potens, & inuictiſsimus,
Non attamen tyrannidem
Ipſe occupas: ſed aſsidet
Semper tibi in throno æquitas.
Apud Iacobi poſteros
Quod iudicas, æquiſsimum,
Quin æquitas ipſa eſt magis.
Quare celebretis Deum
Noſtrum ac adorate ipſius
Arcam, pedes vbi locat
Rex ipſe quàm ſanctiſsimus
Cæleſtium, ac mortalium.
Vt ipſe Moſes, eius &
Frater ſacerdotes patris,
Ac Samuel vates bonus,
Sic vos canatis omnium
Regem Deûm, *qui eſt tam pius.*
Libenter vt quondam preces
Audiret horum, è nubeq́,
Reſponſa clemens his daret.
Nam iuſſa amabant numinis,
Legem tenentes ipſius.

 Quò

Quò tu audiebas hos Deus
Noſter, tibi qui erant ita
Cari, vt ſuæ horum in gratiam
Peperceris genti, ac eos
Grauiſſimè punieris,
Qui per nefas iniuria
Affecerant illos tibi.
Quare celebretis Deum
Noſtrum, ac adorate ipſius
Montem ſacratum numini,
Rex ipſe vbi ſanctiſſimus
Habet Deûm, ac mortalium.

ARGVM. PSAL. C.

Hortatur omnes, ac Hebræos maximè
Ad actionem gratiarum, & laudibus
Deum ferendum qui creat nos, & regit.

PSAL. C. FLAMINII.

VRbes, & agri cantibus
Sonate, læta maximo
Seruite mente numini,
Lætis adite plauſibus
Ad atria eius aurea.
Ipſe ipſe verus eſt Deus,
Terræ, poliq; conditor:
At cæterarum gentium
Non Dij, ſed aurum & marmora.
Tu nos pater ſanctiſſimè,
Tua benigna dextera
Finxiſti, ouiculæq; nos tuæ

Sumus

Sumus, tuæ ſcientiæ
Dulciſsimo nos pabulo
O paſtor optime nutriens
Æterna donas ſecula
Vitam beatam ducere.
Ergo Deum *canamus ô*
Viri, & pudicæ fœminæ:
Viri, & pudicæ fœminæ,
Adite ſancti ianuas
Templi ſonantes dulcia
Carmina, ſonent latè omnia
Nomen Dei *ſanctiſsimum:*
Nam dulcis, & rerum omnium
Amabiliſsimus eſt Deus.
Abſumet ignis ſidera,
Tellus peribit: at Dei
Mirabilis clementia,
Et veritas ſemper manent.

ARGVM. PSAL. CI.

Deſcribit officia optimatum, & omnium
Vates pius Mortalium.

PSAL. CI. SPINVLAE.

BEnignitatem laudibus
Et æquitatem cœlitum
Parens, celebrabo tuam:
Carmen ſonabit os meum.
Quoniam tuum aduentum moror
Numen domi aſsiduè meæ,
Semper mihi innocentia,

Integritaſq́; erit comes.
Iniquitatem ex ædibus
Meis ſtatim, & ſuperbiam
Non negligens repellere
Omni ſtudebo tempore.
Acerba odia, ſcelus, nefas,
Elatio, arrogantia,
Et peſtilens detractio
Mea faceſſent à domo.
Iſta manu teterrima
Nihil tibi eſt infeſtius:
Quin execraris omnia,
Vbi manent, tentoria.
Ipſa bonitas, & veritas,
Earum & innocentia
Soror morentur hîc, mea
Mihi in domo deſeruiant.
Non gratioſi perfidi
Erunt apud me: ab ædibus
Erit meis & improbus,
Et vanus, & mendax procul.
Ac diligens mea impios
Omnes relegabo domo,
Et vrbe: vti his à finibus
Cuncti exulent nequiſſimi.

ARGVM. PSAL. CII.

Iudæa gens deplorat hoc poëmate
Et ſeruitutem, & ſeruitutis plurima
Incommoda, atq; barbaram inclementiam:

Et præ-

Et præcinit reditum ſuum, atque ampliſsimum
Chriſti Dei regnum, omniumq́; gentium
Conuerſionem ad ſacra veri numinis.

PSAL. CII. SPINVLAE.

AVdi Deus precem meam, ſuſpiria
Hæc ad tuum piè thronum
Admitte: vultum ne tuum auertas rogo,
Me cùm premunt anguſtiæ.
Sed pro tua clementia voci meæ
Aures benignas admoue:
Opemq́; maturè mihi fer, cùm voco.
Dies, in auras vt fugit
Fumus, volant mei: velut conſumitur
Ab igne torris, ſic mea
Confecta macie membra ſunt animi ipſius
Præ maximis doloribus.
Demeſſa vt exareſcit herba falcibus,
Sol dum vrit agros igneus,
Angoribus ſic continenter cor meum
Grauiſsimis contabuit.
Sic vexor, vt certè immemor ſim pabuli:
Genæ rigantur fletibus:
Quàm ſim cadauerоſus, effœtus, miſer,
Deformis, ipſe perſpicis.
Vtq́; pelecanus triſtis, atq; noctua
Inquiro ſolitudines.
Et ſomnum ocellis nocte non video meis,
Vt paſſer in tecto ſedens:
Iniuria hoſtes me quòd afficiunt mei,

Premunt, habent ludibrio,
In meq́, debacchantur aſſiduè, in meam
Vitamq́, coniurant ſimul.
Quò ſicut à cinere, epulis abhorreo:
Et cùm bibo, mihi fluunt
In poculum à genis aquarum riuuli.
Nam tu pater, mihi admodum
Iratus es: quem euexeras, nunc de polo
Hunc detrahis per dedecus:
Vmbra vt fugax magis, magiſq́, deficit,
Iamq́, in tenebras occidens
Ad veſperum euaneſcit, ætas ſic mea
Hæc euolat dicto ocyus.
Vt florida æſtate hortuli ſolent roſæ,
Maturo defloreſcere.
At tu potens ſemper manes idem pater,
Tu ſolus haud delebere:
Quem non valet vis vlla, vel potentia
Prohibere, gentem quò minus
Hanc ſeruientem ſeruitutem barbaram
Ab hoſte vindices fero.
Quare Sionem reſpice. en adeſt dies
Nos eruendi ab impijs:
Vrbis ruinæ ſarciendæ adeſt tuis
Occaſio optatiſſima.
Serui tui reges, quibus ſeruiuimus,
Vrbis ſacratæ mœnia
Tandem eruta inſtaurare lugubres tuæ
Gentis miſerti nos ſinunt.

Nos

Nos ergo ſupplices tuos parens Deûm
Supreme, ducas ad locum,
Vnde eminebat illa noſtra vrbs ſic prius,
Vt nil foret præſtantius.
Si feceris quod poſtulamus, deſinent
Gentes ſuis Dijs fidere,
Vnum colent numen tuum, quem nunc putant
Non poſſe vindicare nos.
Orbiſq́ concurrent duces ad te ſimul
Cuncti ferentes munera,
Si mœnia inſtauraſſe te vrbis viderint,
Et nos potenti dextera,
Et vi tua reducere in primas domos
Altum ad Sionem conditas:
Si viderint luctus, preceſq́ flebiles
Audiſſe te gementium
Id quantæ erit tibi Deûm rex gloriæ?
Quem nationes impiæ
Templum videntes, ciuitatemq́ue erutam,
Ac ſeruitute nos premi,
Rident vt imbecillum, & audent numina
Tibi anteferre inania.
Quin poſteris mandabitur mox litteris,
Vt te relictis omnibus
Fictis Deis vnum colant verum poli
Numen potens præ cæteris,
Pium, benignum: qui manu inuictiſſima
Temet colentes, hoſtibus
Pugnantibus, quos deſtinauerant neci,

A vin-

A vinculis vi ſolueris.
Nos interim in Sione quàm gratiſſimi,
Hieroſolymiſque ad æthera
Sublimè nomen efferemus carmine
Omnes amabilituum,
Tibiq́ue gratulabimur, non tam, omnia
Quòd tu redintegres tuis,
Quàm quòd tuum ad fanum ſacrum conuenerint
Per te huius orbis principes,
Ac nationes vniuerſæ, vti colant
Numen tuum ſanctiſſimum.
Quando futurum id eſt breui, quàm gaudeo
Afflictione in hac mea,
Tu me licet pulſaueris, vitæ dies
Reddens meæ breuiſſimos.
Qua de re ita oro, Ne mei è curſus via
Media auferas hinc me prius,
Quàm ciuitatem mirer illam numinis
Almam redintegraſſe te:
Cuius dies vnius, atque tempora
Sine fine durant, qui mare
Terramq́ue finxiſti, poliq́; ſidera:
Quæ, palla ſicut peruetus,
Vnà ſeneſcent, occident: at tu manens
Idem vſque, nunquam deficis,
Vnde omnibus viris bonis manat quies,
Et vita, & immortalitas,
Cuius beatitudine & ſerui tui,
Horumq́; dulces liberi

Fruen-

Fruentur, atque filiorum filij
In ſempiterna ſecula.

ARGVM. PSAL. CIII.

Clementiam Dei hic in humanum genus
Celebrat, atque agere patri grates docet.

PSAL. CIII. SPINVLAE.

Deum canas mens ô mea,
Toto (quod aiunt) pectore
Numen patris ſanctiſſimum
Attolle ad aſtra laudibus.
Deum canas mens ô mea,
Tot eius officia tibi
Non excidant, nec immemor
Clementiæ ſis ipſius:
Qui multa vitia præterit
Tibi tua, & libidines,
Curare membra qui tua
Pergit tibi admouens manum.
Qui lenitate pro ſua
Magna, benignitateq;
Te mortis à crudelibus
Summa eruit vi faucibus:
Tui miſertus qui bonis
Te ſatiat ex ſententia
Suis, iuuentam qui tibi
Flammigero vt aliti nouat:
Ab impio qui vindicat
Oppreſſum, & afflictum bonum,
Et huic furore percitus

Armis

Armis ſuis illum ferit:
Eſt tanta cuius lenitas,
Vitæ vt viam monſtrauerit
Moſi, & ſuum ingenium viris,
Quos iuſtus Iſraël dedit.
Benignum, & exorabilem
Conſtat Deum *eſſe: lentus eſt*
Qui certè ad iracundiam,
Propenſus ad clementiam.
Non more noſtro ſemper is
Rixatur, aduerſarij
Non ſemper eſt iniuriæ
Iratus acceptæ memor.
Non tractat is nos, vt ſcelus,
Crimenq́, noſtrum poſtulat:
Nec plectere is nos aſſolet,
Vt noſtra vitia digna ſunt:
Sed quàm poli præ infima
Terra eminent, hæc tam patris
Benignitas ſtudia boni
Viri vniuerſa præterit.
Quàm diſtat Indorum vltima
Ora à Britanno littore,
Is tam procul noſtrum impijs
Remouit à nobis ſcelus.
Qualis pater poſt verbera
Natum oſculatur vnicum,
Deus colentes numen vt
Pulſauit olim, amplectitur.

Noſtram

Noſtram ipſe conditionem eam
Scit eſſe, deſiderium vti
Vſque ad malum propendeat:
Noſque eſſe & vmbram, & puluerem.
Quin graminis ſimillimum
Scit eſſe curriculum hominis
Qui, ceu decus floris, ſtatim
Apparet, ac ſtatim interit.
Vt Auſter inuadens roſas,
Euertit has, mors effera
Florens adhuc noſtrum genus
Extinguit obſcura manu,
Vt non fuiſſe, qui fuit,
Homo videatur improbus.
Hic curſus eſt mortalium
Numen patris temnentium:
Contrà bonis, proli & piæ,
Et filiorum filijs
Æuum perenne eſt per DEI
Benignitatem maximam:
Cunctos faciet ex ſontibus
Iuſtos: polum ante conditum
Amauit hos, & diliget
In ſempiterna ſecula,
Quoniam nec ictum polluunt
Fœdus, nec vnquam cœlitum
Audent patris perfringere
Leges DEI *ſanctiſsimas:*
Quos tollet omnes ad polum,

Vbi

Vbi inſidens throno ſuo
Rector Deûm *bonis ſine*
Fine imperabit omnibus.
Quare canatis cœlites
Virtute magna præditi
Deum, exequentes illius
Mandata quàm citiſſimè.
Exercitus, ſummi ducis
O iuſſa qui capeſſitis,
Parentis æterni alites,
Efferte laudibus Deum:
Quæ fecit vniuerſa, eum
Ex omnibus regni illius
Magni locis canant ſimul:
Deum canas mens ô mea.

ARGVM. PSAL. CIIII.

Hoc vim poëta cantico ſummi patris
Summam, decorem, & pulchritudinem canit
Horum omnium, dignatus eſt quæ condere.

PSAL. CIIII. SPINVLAE.

D*Eum canas mens ô mea.*
Incomparabilis, pater,
Et iſta maieſtas tua eſt
Illuſtris, atque autoritas,
Et magnitudo, robur, &
Decus, quibus tu es præditus,
Vt omnium mortalium
Regnator, ac cœleſtium.
Quin lumen vnus, & meram

Lucem

Lucem induiſti: maximos
Orbes polorum tu explicas,
Vt milites tentoria:
Et cœlum aquis tu contegis,
Et nube pro curru vteris:
Cuius rotis velocius
Alis volas Fauonij.
Morem gerentes nuntij
Iuſſu tuo venti mare,
Terraſque perflant, fulgura
Quoduis ſolum petunt tua.
Terram ſuper baſin tua
Per te locaſti dextera,
Vnde valeat firmiſsima
Nullo moueri tempore,
Quam deinde ſicut veſtibus
Circundediſti maximis
Aquis, eunt quæ, ſi iubes,
In montium cacumina,
Quas ſi increpas tonitruo,
Timent, tuamque ſentiunt
Iram, & mouentur ocyus,
Vocem pauentes numinis:
Altique montes eminent,
Valleſque ſubſidunt cauæ:
Quam tu iubes, iſta omnia
Ea domo ſe continent,
Aër, humus, mare, æthera.
Fixiſti aquarum terminos,

Tranſire quos non audeant,
Iniuriæ ne ſint humo.
Qui flumina alta fontibus
Educis, inter montium
Hæc ire molem præcipis,
Tellurem vti ſiccam irrigent:
Vt qui colunt agreſtia
Loca, atque agros feſſi bibant
Onagri, & aliæ beſtiæ:
Et vniuerſæ alites,
Quæ tum vagantur montibus,
Tum conſitis ad flumina
Arboribus edunt voculas,
Cantuque mulcent æthera.
Demittis imbres nubibus
Largos, & oras montium,
Ac vallium rigas: humus
Vt nutriat fœtus ſuos,
Vt grata iumentis ferat,
Et beſtijs hæc pabula,
Atque ſegetem mortalibus,
Aliaque vitæ commoda.
Iuſſu tuo flaua & Ceres,
Lætum & merum ſolo editur
Vinu, oliuum, & millia,
Queis conſulant ſibi, bona.
Vliginem tu ſuggeris
Libani cedris virentibus,
Quas conſeris manu tua:

Qui-

Omnemq́ curas arborem:
Hic vt volucres garrulæ
Poſsint domos ſuſpendere
Pullis, vt abies afferat
Sedem piæ ciconiæ.
Gaudere ceruos montibus,
Damaſq́ pauidos imperas:
Duramq́ cautem erinaceo,
Et exhibes cuniculo.
Phœben creaſti, menſtruum
Currens iter velocius,
Solemq́, curſus annui
Qui rite ſemper it vias.
Noctem creaſti, qua feræ
Formidoloſis è locis
Dulci ſopore per diem
Exercitæ, ad prædam exeunt.
Partus leonum acerrimi,
Fameq́ tigris excita
Sæua, rugientes à Deo
Quærunt paratam eſcam ſibi,
Paſsim vagantur, corpora
Donec rigent ſomno viri,
Phœbo recens orto ſua
Mox reueniunt cubilia:
Homo ſuam prodit ſtatim
Ad agriculturam. & facit
Opus, ſerens noualia, &
Vitem putans ad veſperam.

Quàm mira, & elegantia
Sunt, quæ pater creaueris
Sapienter omnia: eſt ſolum
Rebus tuis pleniſſimum
Ingens, & hoc vaſtiſſimum
Æquor creaſti piſcibus
Numero quidem carentibus,
Ac beſtijs immanibus,
Quà tranſeunt naues citæ,
Quà cetus immaniſſimus
It, cætera audens ludere
Præ ſe maris animantia.
Sed iſta pendent omnia ex
Benignitate numinis:
Morantur vt ſibi ſuum
Suo cibum des tempore:
Te dante viuunt, te manum
Pandente colligunt, bonis
Implentur, & te lumina
Vertente ab illis concidunt:
Aufers eis cùm ſpiritum,
Turbantur, & labant humi,
Mutantur in ſuum ſtatim,
Quo ſunt creati, puluerem:
Contrà tuum cùm ſpiritum
Inflas eis, ſic ocyus
Dicto reuiuiſcunt, vti
Sint fortiora, quàm prius.
Perduret eius gloria,

Vita

Vita vnde pendet omnium,
Suiſque factis gaudeat
In ſempiterna ſecula,
Is, cuius aſpectu ſolum
Telluris horrere, ardui
Fumare montes aſſolent
Tactu, Deus duret meus.
Dum ſpiritus meos reget
Artus, Deum feram meum,
Cui debeo ſoli omnia,
Ad æthera vſque laudibus.
Lætabor illud, ſi mea
Erit Deo *precatio,*
Et grata contemplatio
Hæc pabulum mentis meæ.
Excindet omnes impios,
Euellet è terra Deus
Sontes ad vnum æquiſſimus.
Deum canas mens ô mea.

ARGVM. PSAL. CV.

Vates Hebræum hortatur ad præconia
Laudum patris cœleſtium, ſtudia ipſius
Gentem in ſuam ſalutis ingratam canens.

PSAL. CV. SPINVLAE.

H*Abete gratias* Deo, *inuocate eum,*
Vulgateque ingenium ipſius
Per vniuerſas nationes ô boni,
Numen ferentes laudibus
Numen ferentes laudibus, miracula

Tot, tantaque eius dicite.
In hocque gloriamini, quòd vos Deus
Peculium appellet ſuum,
Suiſq; donis afficiat, & gaudia
Gaudete amantes numinis.
Tutelæ & almi vos Dei *committite*
Eiuſq; contemplamini
Potentiam, benignitatem ante omnia,
Mirabilem & ſapientiam.
Non illius portenta vobis excidant,
Non facta mira, non ea,
Proferre quæ dignatus eſt vobis Deus
Suo ore quàm ſanctiſsimo.
O Abrahami ſtirpes, colebat qui Deum,
Genus Iacobi, quem pater
Lectiſsimum in primis amauit vnicè
Is noſter eſt certè Deus,
Terrarum vt imperium licet penes eum
Sit omnium, nos attamen
Præponat omni nationi, dummodo
Vnum ipſum adoremus patrem:
Hæc fœderis lex eſt, quod ipſi cum Deo
Supremo Hebræi iunximus,
Prius quod icit cum Abrahamo præpotens
Deus, *quod inde filio*
Firmauit ipſius ſacramento, hinc pijs
Quod comprobauit legibus.
Pactoq; perpetuo nepote cum illius
Sanctiſsimo Iacobo loquens,

Cui

Cui nomen immutauit huius fœderis
Icti memor fuit Deus,
His pollicens ſeſe Chananæorum agros
Vatis daturum liberis,
Vt iure eos hæreditario colant.
Vbi, quibus promiſerat
Summus pater, cùm pauculi eſſent aduenæ,
Sæpiſsimeq́ue tenderent
Et huc, & illuc hoſpitum more, his minus
Tulit nocere oræ incolas:
Quin & duces ipſos eorum in gratiam
Olim ſolebat plectere,
Et arguebat principes orbis ferens,
Seruos meos ne tangite,
Cœleſti oliuo queis ego linij caput,
Et vatibus ne iniurij
Meis duces eſtote, quos cœleſtium
Regnator ipſe vindico.
Qui cùm ora iuſsiſſet famis crudelia
Telluris orbem inuadere,
Iudææ vti genti futura prauidens
Caueret, ac Ægyptijs,
Præmiſit illis ſeruituti venditum
Pergratum Ioſephum Deis,
Cuius pedes (ha ha, nefas) innoxij
Stringuntur à crudelibus
Ægyptijs: genus Deorum *ferrea*
In vincla coniectum fuit
Non abnuente almo Deo, *qui redderet*

Maius labore gaudium,
Ei cùm dies fatalis illuceſceret.
Illuxit hæc vbi dies,
Hunc Pharao ædibus ſolutum præficit,
Et vrbibus regni ſui,
Vti ſuo arbitratu & omnes principes,
Et optimates corrigat,
Præſcribat vt facienda, decernendaq́;
Lectiſsimo Senatui.
Cuius parens huc venit aſpectu ſui
Nati fruens dulciſsimo.
Vbi DEUS *ſic auxit Iacobi genus,*
Vt multitudine aurea
Gens nationem Ægyptiorum vinceret.
Ægyptij ex illo genus
Pium inſequuntur, ac ſtudent excindere.
Moſen pium ſummus pater,
Sanctumque Aharonem ad nouum iſtuc nuntios
Prouinciæ mittit ducem,
Mandata qui portenta Chameo in ſolo,
Miracula edantq́; illico.
Diui exequuntur iuſſa: nox diem eripit,
Oras tenebræ Ægyptias
Nigræ obruunt: illarum aquas in ſanguinem
Vertit DEUS, *cunctæ occidunt*
Phocæ: atque piſces fluminum: tellus parit
Tot iſta ranas, vt ducum
Saltent per ipſorum ſtatim cubilia
Cuncta, & per aulas obſtrepant.

Inſe-

Inſecta, pediculiq; iuſſu numinis
Iſtic loca implent omnia.
Hinc fulminat, diraq; cædit grandine,
Paſsim colonis flentibus,
Vitemq;, ficumq;, & pyrum, omnem & arborem
Cunctis eorum in finibus.
Bruchos, locuſtaſq; inde rex Deûm ciet
Numero carentes, quæ exedunt
Si grando quid reliquerat, virentia
Vorant agrorum gramina.
Et ſuſtulit primò editos mortalium,
Animantiumque filios.
Hinc deniq; educit ſuam gentem pater
Cum argenti, & auri pondere.
Quorum ægritudo neminem certè impedit.
His vniuerſi Ægyptij,
Plagis ferendis iam Dei grauiſsimis
Defeſsi, euntibus fauent.
Quibus ſuper cœleſtium parens die
Nubem tetendit candidam,
Ne hos Phœbus ardens vreret: noctu faces,
Quæ eis tenebras pellerent,
Accendit æthereas: polo qui deſuper
Ardere lycnos pendulos
Omnes ſibi mirantur. appetentibus
Pluit coturnices eis,
Deûmq; pane cœlitus quàm plurimos
Annos abegit his famem.
His, cùm ſitirent, caute ſolitudinis

Aquam edidit clemens pater,
Vt qui meminerat Abrahamo quid pio
Promiſerat ſanctiſſimè.
Cum gaudio, & cantu ergo duxit hos Deus
A ſeruitute barbara
In gentium impiarum agros: noualia
Tam culta, quàm quæ maximè,
Pro his poſtulans nihil aliud donis, niſi
Vt æquitati ſeruiant;
Et quam tulit ſanctiſſimam legem, ſibi
Hanc ne velint perfringere.

ARGVM PSAL. CVI.

Iudæa gens quæ ſeruitutem ſeruiens
A barbaro truci premebatur, canit
Commiſſa maiorum ſuorum, & numinis
Studia in patres, ſibi Deum obſecrans opem.

PSAL. CVI. SPINVLAE.

HAbete gratias boni Deo optimo:
Clementia, & benignitas
Eſt iugis in nos ipſius. Verbis fidem
Quis aſſequetur numinis,
Laudeſq; quis pro dignitate fortia
Facta ipſius nobis canat?
Felix, qui amans æquum bonum, quæ iuſta ſunt
Tuetur omni tempore.
Eſto Deus noſtri memor pro gratia,
Et lenitate in nos tua:
Vt læter afflictorum Hebræorum bona,
Quæ polliceris, intuens:
Vti peculiaris, & lectiſſima

Præ cæteris hæc gens tua
Clementiæ tuæ ſit particeps, & gaudio
Triumphet, ac plaudat tibi.
Vt ij, quibus nati ſumus peccauimus
In te, impieq́; fecimus,
Qui facta in Ægypto tua, & potentiam
Manus tuæ inuictiſsimæ
Non cogitarunt: quin tua clementia
Abuſi, ad oram perfidi
Maris rebellant impiè tecum pater
Deûm prius, quàm cum duce
Profunda tranſmittant ſuo ponti æquora
Salutis ingratiſsimi.
Deus tamen, ne barbari infidum, impium,
Crudele numen dicerent
Ipſorum Hebræorum, impotenſue, in patribus
Oſtendit immerentibus
Repente ſeruandis, poteſtatem ſuam,
Neruoſq́; robur, & fidem.
Quapropter ipſius Dei iuſſu æquoris
Siccatur vnda protinus:
Aqua ipſa mox dureſcit inſtar marmoris,
Sibi facta diſsimillima:
Quà ducit Hebræos, vti per cæduam
Syluam hoſtibus ſequentibus,
Quos obruit cum rege ad vnum. atq; hîc patres
Habent fidem ſermonibus
Dei, canuntq́; eius potentiam: at citò
Mutant fidem, miracula

Ani-

Animo effluunt illis ſtatim leuiſſimo,
Et robur, & virtus patris.
Tanta eſt eorum peruicacia, vt ducem,
Deumq́ contemnant ſuum,
Nec pareant iuſſis verendi numinis.
Quid multa? conſilia minus
Curant patris, libidini teterrimæ,
Ventri, & gulæ ſolummodo
Inſeruiunt in ſolitudine: attamen
Is pro ſua dementia
Satis gulæ faciens eorum, inutile
Donat benignè quod petunt
Parum pudentes, idq́ cum magno quidem
Edentium diſcrimine.
Horum neci merentium dat plurimos,
Quòd inuident duci ſuo, &
Fratri dicato numini, (mirabile
Viſu) Dathanem hians ſtatim
Terra, atque Abironem impiorum principes,
Tentorijs mox cum ſuis
Interdiu obruit: vorans diuinitus
Flamma improbos, accenditur.
Audentq́ Chorebi in ſolo turpiſſimum
Conflare vitulum: maximi
Vnique arrogantes huic Dei, & potentiam
Qui barbaros occiderat,
Pro diuo adorant mox eum. miracula,
Ægyptijs quæ fecerat
In Chami humo, æquoriſque vaſti fluctibus,

Oblita

Oblita ſunt his omnia.
Qua de re eos ſtudebat omnes perdere
Magno furore percitus:
Id quod Deus feciſſet omnino, niſi
*In ſtrage Moſes, cladeq́, & *
Vaſtatione gratus almo numini
Placaſſet iras ipſius.
Quin gentium vberes agros, quò duceret
Rector potens cœleſtium,
Niſoluerent pactam fidem, audent temnere,
Nihilq́ habent ſermonibus
Fidei patris: ſed murmurantes in ſuis
Tentorijs, ſummi imperi
Voces verendas negligunt Dei *ſui.*
Quò fulmen arripit ſtatim
Furens in illos, ac neci dat impijs
Et liberos cum patribus.
Cadauera inſepulta per ſyluas iacent,
Agroſq́ ſolitudinis.
Quin & Baalis ſe Phegoris dedicant
(Tanta eſt eorum amentia)
Inanibus Dei *ſacris: inſeruiunt,*
Fictoq́ diuo pocula
Libant, Deûmq́ numini mortalium
Audent litare victimas.
Excanduit ſummus parens, & irruit
Coorta peſtilentia
In caſtra eorum. at Phinees ſanctiſſimus
Mœchos vt enſe traijcit

Vnà

Vnà cubantes, illa peſtis deſinit
Iacobeos attingere.
Sit poſteris quod æquitatis illius
Signum futuris omnibus.
Et cùm ſitirent admodum in Cadè horrido,
Ira Deum incendunt ſuum,
Aquam petentes. dux vbi Moſes pius
Pro illis malè affectus fuit:
Quòd motus iſtorum infidelium minis
(Humana quæ eſt infirmitas)
Verba faciens & ipſe perperam immemor
Peccauit ore nonnihil.
Quare nequiuerunt eos, quorum Deus
Receperat noualia
Ipſis & vrbes, vniuerſos perdere,
Vti volebant: ſed cum eis
Bellum gerentes obtinent partem ſoli
Harum, ſimul quam poſſident
Cum gentibus ſummum patrem temnentibus;
Quas æmulantur, & colunt
Idola inania, & Deos argenteos:
Quod admodum illis obfuit.
Audent ſuos & liberos, & filias
Mactare diuis inferis:
Audent cruore innoxio (hæc facta audiens
A lacrimis quis temperet?)
Terræ ſola inquinare, ſeſeq; efferi.
Quid multa? ſic pergunt malis
Peiora factis addere vſq; numinis

Cul-

Cultum relinquentes ſui:
Vt cœlitum rector furore percitus
Gente hac peculio ſuo
Repente abhorrens, vaſtitati gentium
Deuictum Hebræum addixerit,
Ac ſeruituti adiudicarit hoſtium
Ac barbarorum immanium
Nequam patres cum liberis gementibus,
Et vos tori conſortibus.
Miſertus eripit Deus *ſæpiſſimè*
Eos ab hoſte barbaro.
Pergunt ſui ſimiles & vſq; perdita
Studia ſequi, & contemnere
Conſilia ſummi patris, & cupidini
Seruire fœdo iugiter
Iſtos dat hoſtibus iterum ſæuiſſimis.
Preſſi gemunt, ſuſpirijs
Deum fatigant: pro ſua clementia
Viſis eorum anguſtijs
Et fletibus non fœderis ſui immemor
Malorum Hebræi pœnitet.
Hos gratioſos efficit primoribus
Viris, qui erant aſperrimi.
Sis obſecro Deus *memor noſtri, feris*
A gentibus nos libera.
Clemens in vna cogito iam mœnia,
Vbi celebremus tuum
Sanctiſſimum iſtud numen omni tempore:
Vt nos tuis in laudibus

Iacte-

Iactemus. Iſraëlis ô pium genus
Patrem ſupremum concine,
Deum celebra. fiat ipſa concio,
Fiat ſtatim reſpondeat.

ARGVM. PSAL. CVII.

Hoc prouidentiam Dei poëmate
Vates canit, clementiamq́ numinis
Summamq́ iuſtitiam, in poli throno quibus
Afflictum, & æquor nauigantem, & deniq;
Omnes regit terras, & humanum genus.

PSAL. CVII. SPINVLAE.

HAbete gratias Deûm *regi pio:*
Clementia, & benignitas
Eſt iugis in nos ipſius. grates ei,
Vltrice quotquot dextera
Exemit opprimentibus malis, agant
Gratoſq́; ei ſe præbeant,
De barbaris quos ipſe nationibus
Iſtuc coëgit vndique
Ab auſtro, & à Septentrione, ab vltimo
Indi, & Britanni littore:
Errare qui in locis inhoſpitalibus,
Et ſolitudine horrida:
Nec inuenire ſemitam, quæ duceret
Mortalium in frequentiam,
Aut oppidum. fames, ſitiſq́; languidos
Ingens eos oppreſſerat.
His obruti malis, fidem Dei vocant:
Statimq́; eos piè aſſerit,
Ac ducit illico in viam, quà feſſi eant

In con-

In concionem ciuium.

Dei canant clementiam iſti, & quæ edidit
Mortalibus miracula:
Quoniam laborantes fame impleuit ſatis,
Superq́ue dulci pabulo.
¶ *Patres ſedebant in tenebris exules,*
Pallore mortis obſiti,
Et ſquallidi, & vincti catenis, dediti
In ſeruitutem barbaram,
Præcepta quòd legeſq́; ſupremi Dei
Vſq; auſi erant perfringere:
Labore quos domare pergebat graui,
Acerbitate, anguſtijs.
Curæ moleſtæ corda eorum preſſerant,
Et nemo eos defenderat.
His obruti malis, fidem Dei vocant:
Statimq́; eos piè aſſerit:
Frangens eorum vincula, à cuſtodia,
Et morte certa liberat.
Dei canant clementiam iſti, & quæ edidit
Mortalibus miracula:
Qui ferreum vectem, foreſq́; fulmine
Miſſo petiuit æreas.
Cùm de piaculo patres, & impiè
Geſtis darent pœnas Deo,
Non appetebant amplius cibum, necis
Adeſſet vt præſentia.
His obruti malis, fidem Dei vocant,
Statimq́; eos piè aſſerit:

Iuſſuq́; curantur ſuo, hos lethi piua
Crudeli ab ore vindicat.
Dei canant clementiam iſti, & quæ edidit
Mortalibus miracula,
Sacrumq́; vindici offerant, cantu ipſius
Et mira facta prædicent.
¶ *Qui nauitæ ſolum maris vaſtiſsimi*
Et de negotijs ſuis,
Et mercibus carina arant vſq; impigri,
Ijs notiora ſunt, Deus
Imo ſalo quæ factitet miracula
Stupore digna maximo.
Ipſo iubente, cuncta cui deſeruiunt,
Venti procelloſi illico
Perflant mare, & tollunt aquas ad ſidera
Cum nauibus, queis diriget
Sanguis metu: vnde mox cadunt ad inferos
Manes, videntes tartara
Aperta montes inter atros fluctuum,
Qui celſi Olympi verticem
Altiſsimum vincunt. carina, vt ebrius,
Et huc, & illuc fluctuat,
Cum nauigandi nil valens peritia
A ſpe ſalutis decidit.
His obruti malis, fidem Dei *vocant*
Statimq́; eos piè aſſerit:
Nam turbinem fugans maris componere
Æſtus, & vndas protinus
Maturat, atq; diſijcit nubem illico,

Et na-

Et nauitas manu ſua
Trahens ab Orco, dirigit tutiſſima
Clemens ouantes littora.
Dei canant clementiam iſti, & quæ edidit
Mortalibus miracula.
In concionis hunc virûm frequentia
Tollant ad aſtra laudibus,
Senumque conceſſu in pio ipſius canant
Benignitatem maximam.
Cuncta arbitratu qui ſuo mutat Deus
Siccare magna is flumina,
Olimq́ glebas vberes dare incolis
Solet ſterilitati impijs,
Spretamq́ ſolitudinem cunctis rigans
Ingenti aquarum flumine,
Relegat illi priſtinam incultæ ſitim,
Ducenſq́ eò colonias,
Et ciuitates vndequaq́, & villulas,
Pagoſq́ circumponere
Preſſos fame imperat, nouiſque ſemina
Mandare agris feracibus,
Viteſq́ conſerere, merum quæ præbeant
Cultoribus lætiſſimum.
Vbi cauens immenſum eis auget pecus,
Illoſque ditat plurimum.
Qui ſi parum grati ipſius clementiæ
Et æquitatem deſerant,
Et ſeruiant cupidini, duriſſima
Afflictione illos domat,

Anguſtijs, labore: crudeliſſimos
Repente eis dat principes,
Domos ita horum qui opprimant, vti loca
Flentes petant ſylueſtria,
Inter feras potius volentes degere
Ætatem, in hoc quàm iugiter
Immanitatis orbe verſari impio.
Hîc ſupplicant Deo, gemunt,
Seq; increpant, dum lacrimis benignitas
Summi parentis vincitur.
Quare miſertus hinc ſtatim optatas Deus
Reducit in colonias.
Et qualis iratus pater gnatos vbi
Virga cecîdit improbos,
Diu gementes audiens & ipſe flet,
Virgamq; tradit ignibus:
Talis parens ſupremus iniuſtiſſimos
Vltrice punit dextera
Furens eorum iudices, qui ſæuius,
Nullaque conſcientia
Truces abacti creditas oues lupi
Sibi laniabant dentibus.
Vt conſulit paſtor gregi, deinceps Deus
Ita his cauet, quos preſſerat.
Boni videntes hæc triumphant gaudio,
Muteſcit omnis impius.
Sapiens vir obſeruabit hæc, noſtrum in genus
Vt noſcat officia patris.

ARGVM. PSAL. CVIII.

Grates agit ſummo patri, quod ipſius
Ope, & manu potitus optatiſsimo
Sit regno, iniquo Saule caſo à barbaris.

PSAL. CVIII. SPINVLAE.

HYmnis paratus ſum Deûm rex tollere
Numen tuum pro viribus.
Ades chely, atque nablium, Auroræ citò
Surgentis anteuertere
Tendamus aureos equos, & carmina
Dicamus almo numini.
Te in vniuerſis gentibus canam Deus,
Cunctiſq; nationibus.
Laudes celebrabo Dei, *& clementiam*
Incomparabilem, & fidem,
Quæ tam fidem humanam antecedit, quàm eminent
Terra poli præ infima.
Declara in impios Deus *quàm maximam*
Potentiam, atque vim tuam,
Quàm ſummo Olympo cœlites omnes ſtupent:
Ingens vt in terris tua
Dilatet his, quàm dignus es, ſe gloria,
Tuiq;, quos tanti facis,
Serui hoſtium euadant minas crudelium
Pugnante dextera tua.
Quare obſecro votis meis reſpondeas.
De me locutus eſt Deus,
Hæc verba de throno dedit ſanctiſsimo,
Quæ me beant, te Sicima,
Valliſque Sochotha, & Galaaditis ſolum

Quod contigit, & oppida
Manaſsis aſsignata quondam poſteris,
Ac Ephraimi liberis
Præſtantibus alijs Hebræis robore, &
Vigentis, & potentia,
Omneſq́; terras olim Iudæ filijs
Regentis imperium datas
Non hoſtium obtentura caſtra, at Dauidem
Omnino victorem fore.
Quin, vt mihi recepit idem rex Deûm,
Statim Moabitas foros,
Idumeoſq́; ad ſeruitutem omnes traham
Et vos Palæſtini ſimul
Iuſsis, & imperio meo parebitis.
Sed quis det has vires mihi,
Queis oppida expugnem iſta munitiſsima.
Quæ obſeſſa tanto tempore
Numen dedit tenere me auguſtiſsimum.
Quis amplam Idumeam ocyus
Me inducat? alme nónne tu Deûm *parens?*
Qui tandiu auxilio tuo, &
Virtute ſpoliaſti, atque gratia meos
Exercitus, & copias.
Non gentis huius dux eris? non mœnia
Hoſtilia induces eam?
Orantibus feras opem, à periculis
Nos vniuerſis eruas.
Non viribus, neruiſq́; noſtris fidimus,
Neque ex viris mortalibus

Pen-

Pendemus, vt tu conſpicis. quare tua
Freti manu pugnabimus.
Victoriam fac aſſequamur, barbaros
Hos dede nobis obſecro.

ARGVM. PSAL. CIX.

Hic in Dœgum inuehitur, atque cæteros
Sontes: ſub iſtorumq; perſona impium
Et factum Iudæ proditoris filij
Dei, malorumq; omnium inclementia
Damnatur. hinc dolet ſuis incommodis
Gemens, & implorat Dei clementiam.

PSAL. CIX. SPINVLAE.

PAter ſupreme fons bonorum maxime
Fons, vnde quicquid eſt mihi,
Deriuat huc, & effluit, diutius
Ne quæſo adhuc conniveris
In impiorum vanitate, & voculis,
Quibus mihi vſque detrahunt.
Verbis doloſis, & odioſis vndique
Hi me ſtudent inuadere.
Telis & iniuria inimicè in me irruunt.
Pro ſummo amore, quo genus
Mortalium iſtud proſecutus ſum, malè
Facit mihi ingratiſſimum.
Infeſta cùm fortuna eis foret, pio
Semper Deo ſupplex eram,
Vt vindicaret hos graui à diſcrimine.
Nunc hi malum mi pro bono,
Pro gratia & odium ſtudent rependere.
Quare pater, qui iuſtus es

Hoſtem meum iniuſtum feri ipſe, & impium
Præpone veſano ducem.
Vt eius appoſcit nefas graue, & ſcelus:
Furijs agatur iugibus:
Eſt cùm reus, damnetur ipſo à principe,
Qui iudicat cauſam illius:
Sua augeatq́, oratio eius crimina,
Et iudicem irritet magis:
Huic contrahe ætatem breuiſſimam: ipſius
Succedat alter muneri:
Orbiq́, nati, & vidua coniux exulent,
Et huc, & illuc curſitent,
Atq́, oſtiatim pabulum quærant ſibi,
Et vſque mendicent ei:
Crudelis omnia in bona faciat ſua
Et fœnerator impetum:
Suo parauerat ſibi quæ ſanguine,
Immitis hoſtis auferat:
Non vlli in hunc & filios commouerit
Humanitas præcordia:
Fumans & excidium ſit eius exitus,
Vt vniuerſos terreat:
Et nomen eius excidat mortalibus
Subinde: verùm æquo tibi
Iſtius, & nefas parentum, & crimina
Obliuio non obruat:
Semper tibi obuerſetur ante lumina
Quid iſte fecit impius,
Vt nomen eſſet maximum in terris ſibi:

Delere quod ſtude ocyus:
Quòd beneficentiæ immemor crudelius
Eſt inſecutus ad necem
Contemptum & afflictum virum, mœroreq́ue
Oppreſſum, & ægritudine:
Quandoquidem execrationem diligit
Voti ſui ſit particeps:
Quam non amat, felicitas ſemper Deus
Indigno ab illo ſit procul:
Vt cingulum, veſtemq́ commodiſſimam
Scelus, quod eligit ſibi,
Id oro continenter in venas ſibi
Lethale virus afferat:
Vt concupiuit, ſicut ora pallij
Sit vſque ſecum iniquitas:
Vt corpus vmbra conſequatur hunc ea
Comes, nec vnquam deſerat.
Sic tractat illos cœlitum rector, caput
Qui machinantur in meum.
Sed lenitate pro tua, & clementia
Caue mihi obſecro pater.
Sic vrgeor, contemnor, atque deprimor,
Vt mens mihi ſit tabida.
Vmbra vt fugax magis, magiſq́ue deficit
Iamq́ in tenebras occidens
Ad veſperum euaneſcit, ætas ſic mea
Hæc euolat dicto ocyus.
Accedit huic malo, quòd hoſtis mi ſolet
Faceſſere id negotij,

Vt perſequi cogar vagum vitæ genus,
Vti locuſtæ comparer,
Quæ per ſolum modò huc, modò illuc ſaltitans
Nullo quieſcit tempore,
Longo mihi genua labant ieiunio:
Sic corpus eſt macrum mihi,
Vt ſtare vix poſsit, meis ſim vt omnibus
Oſtentui aduerſarijs,
Vt impij, qui me vident, irrideant,
Caput mouentes ocyus.
Pro lenitate me tua adiuua pater
Supreme, ſerua me obſecro:
Vt ſentiant hoſtes fauere te mihi,
Horumq́ caſtra fundere:
Seruumq́ deteſtentur illi me tuum,
Modò ipſe fautor ſis mihi,
Perdas modò horum caſtra, & ipſe gaudeam,
Iactemq́ me de vi tua.
Fruſtrentur aduerſarij mei: pudor
Horumq́ vultus contegat:
Turpes, & infames, & euictí gemant,
Et eruantur funditus.
Grates agam ingentes patri cœleſtium
Frequentia in mortalium:
Et ſemper attollam hunc Olympo laudibus:
Mihi affuit miſerrimo,
Dexterq́ veſanorum ab armis me hoſtium,
Et vindicauit impetu.

ARGVM. PSAL. CX.

Prolis Dei de ortu, & nece, & iugi throno
Et de ſacerdotio etiam hymno hoc præcinit.

PSAL. CX. SPINVLAE.

SIc numen eſt meo locutum numini
A gentium mortalibus
Terris ad oras euolanti cœlitum,
Ad dexteram aſside mihi,
Hoſtes quoad teterrimos, pedi tuo
Scabellum vt iſtud, præpotens
Nato pater tibi tuos ſubiecero.
Atque interim fili vnice,
Terras ad omnes ex ſacro imperium tuum
Sione propagabitur:
Regnabis vnus toto in orbe hoc: offerent
Tibi vniuerſi fœdera,
Ac dona ſupplices ferent altaribus
Pompa tuis mirabili,
Terrenus vt vapor mea vi tollitur
Sublimis, & conuertitur
In rorem ad Auroram, poloque decidens
Terram vberem, ac lætham efficit,
In matris aluo ſic piæ ſanguis tuum
Concreſcet in corpus mihi:
Vnde exiens reddes ferax æqui, & tuæ
Virtutis humanum genus.
Iurauit ipſe, cuius eſt nunquam ſuam
Sententiam reſcindere,
Te præſulem, ac regem fore omni tempore,
Vti fuit Melchiſedech.

Adeſt

Adeſt tibi æternus Deus, *quem cùm ſua*
Incendet ira, protinus
Plectet duces, pœnas ei gentes luent:
Stragem ipſe præpotens dabit,
Et principum orbis totius petet caput.
Numen dolorum ſed prius
Hâc tranſiens potabit vndam fluminis,
Dehinc aſtra feriet vertice.

ARGVM. PSAL. CXI.

Hic præcinit ſapientiam, & clementiam
Ingentem ad Hebræos patris cœleſtium.

PSAL. CXI. SPINVLAE.

Pater beate, pectore
Toto tibi grates agam
Et in piorum cœtibus,
Et gentium frequentia.
Vt conſtat omnibus viris
Bonis, ſupremi opus Dei eſt
Ingens, ſtupendum, maximo
Honore dignum, & gloria.
Eſt æquitas iugis Dei
Clementis, & pij: oppidò
Quod fecit admirabile,
Id ſemper hic cantabitur:
Icti memor qui fœderis,
Eſcam dedit colentibus
Ipſum: ſuo oſtendit gregi
Sit quanta virtus numinis,
Cùm gentium illi tradidit

Agros.

Agros. opus plenum fide
Eſt eius & recto: optima
Sanxit fide legem vtilem,
Firmata in omne ſeculum,
Vt vera, & æqua, permanet.
Eſt cuius hæc benignitas,
Gentem vt ſuam redemerit.
Depactus eſt quæ fœdera
Cum illa, manent perennia,
Eſt cuius & ſanctiſsimum,
Et nomen auguſtiſsimum.
Cultus Dei *ſapientiæ eſt*
Caput: beatus eſt pius
Eum ſequens: laudatio
Eſt iugis illi, & gloria.

ARGVM. PSAL. CXII.

Exponit hic quàm ſint beati, qui colunt
Deum patrem, ac benignitatem numinis
Pro viribus ſectantur, & clementiam.

PSAL. CXII. SPINVLAE.

Beatus ille, qui piam ſeſe Deo
In ſeruitutem dedicat,
Qui mente pura diligit ſanctiſsimas
Leges Dei *præ omnibus:*
Proles enim in terris potens, felixq́ erit
Huius, quòd eſt boni genus:
Et ipſi erunt opes, domus ditiſsima,
Æterna liberalitas.
Iuſto, pio, probo, atque manſueto erit

Secu-

Securitas, & gaudium,
Cùm in impios fortuna debacchabitur.
Beatus ille, qui ſtudet
Clementiæ, & dat mutuum pauperrimo:
Qui cuncta diſponens ſua
Prudenter, omnium exitum conſiderat:
Deûm parens immobilem
Hunc eſſe ſtatuit, nec memoriam æqui ipſius
Obliuione vlla obrui:
Qui nil timebit à malis rumoribus
Tutus, quòd in ſummo Deo
Habet fidem ſuam: vſque erit fortiſſimo
Animo, nihil ſibi timens,
Quin efferum viſurus hoſtem ſit ſuum
Noxæ Deo *pœnas dare.*
Opes egenis dat ſuas, ſemper ſua
Duratq́; liberalitas:
Poſſeſſio hinc augebitur, potentia,
Et iugis eius gloria:
Quod omnis impius videns, torquebitur
Huic inuidens minabitur,
In hunc ruet: ſed per Deum *huius machinæ*
Fient ſtatim omnes irritæ.

ARGVM. PSAL. CXIII.

Hortatur ad Dẽo canenda carmina
Et prouidentiam eius & potentiam,
Clementiamq́; prædicat quàm maximam.

PSAL. CXIII. FLAMINII.

ADeſte caſtæ virgines, pueri integri
Adeſte, mecum laudibus

Efferte

Efferte nomen numinis ſanctiſsimi.
Dum Sol per oras ætheris
Curſu volubili rotabitur, diem
Ægris ferens mortalibus,
Minora dum micabit inter ſidera
Luna occidente iam die,
Ab Indo ad vltima Britanni littora
Illuſtre ſit nomen Dei.
Non vniuerſis ille tantùm gentibus
Sua imperat potentia,
Sed cœlites, cœliq; ſupra maximum
Se tollit altus verticem:
Hinc pater acuto cuncta luſtrat lumine.
Non ſtellifer quicquam polus,
Non alma quicquam terra continet, neq;
Pontus, eam circumuagus,
Nil pandit aër liquidus, occultat nihil
Craſſa inferorum obſcuritas,
Mortalis vllus denique nihil pectore
Seruat profundo conditum,
Quod ille rector maximus cœleſtium
Non cernat omni tempore.
Ipſe & potentes mente inani lucida
Perambulantes ſidera
Vindex ad imos vſque trudit inferos,
Et pauperes infimo
Gradu iacentes principum in ſolio locat
Sua benignus dextera.
Ipſe & pudicam liberorum garrulo

Hila-

Hilarat puellam examine,
Quæ prole ſine dulci diu in triſtiſsimo
Mœrore vitam traxerat.

ARGVM. PSAL. CXIIII.

Vates canit quàm magna tum miracula
Summus dedit parens, Hebræos cùm à ſolo
Aegyptio in recepta regna duceret.

PSAL. CXIIII. FLAMINII.

CVm liberata ſeruitute barbara
Iudæa gens, Ægyptiorum finibus
Exiret, illamq́; Deus ipſe duceret,
Fugêre fluctus æquoris perterriti,
Iordanis vnda retrofugit: & ſtupens
Gens illa vidit exilire maximos
Montes, vt agni prata per virentia
Saliunt nouelli, lacte dulci ebrij.
Quid accidit mare tibi, cur perterritum
Fugeres? ocelle fluminum quid accidit,
Cur pauidus ad fontem recurreres tuum?
Vos quæſo montes maximi, quid impulit
Inuſitatis exilire motibus?
Senſere magni numinis præſentiam
Montes, & vnda fluminis, & altum mare,
Senſere dura ſaxa ſolitudinum,
In vberes cùm his ea fontes verteret.

ARGVM. PSAL. CXV.

Orat Deum, vt defendat Hebræum impijs
A barbaris, qui inuaſerant gentem piam:
Cuncti vt ſciant ipſum Deum verum vnicum,
Ac cæteros fictos Deos mortalibus.

PSAL. CXV. SPINVLAE.

NOn gloriæ noſtræ pater cœleſtium
Cauſa quidem precamur a te ſupplices
Victoriam, ſed ne tuum ludibrio
Sit nomen auguſtiſſimum iſtis gentibus,
Crudeliter quæ in nos Hebræos irruunt.
Nos ergo ſerua lenitate pro tua,
Fideq́, pacta, qui recepiſti Deum
Fore te vſque noſtrum, vindicemq́, acerrimum:
Vt ne amplius nos iſta gens interroget,
Nobis vbinam ſit Deus noſter potens.
Cui ſæpius rogationi, vti vides,
Iudæa reſpondere gens ſic aſſolet:
Quid? præpotens Deus Deorum maximus,
Qui numen eſt noſtrum, polum ſublimem habet,
Vbi facit quæcunque vult ex tempore,
Has & regit terras, & humanum genus.
At gentium Dei impiarum, non Dei,
Sed aurum, & argentum eſt manu mortalium
Docta elaboratum: quibus quidem ora ſunt,
At non valent eis loqui, ſunt lumina,
Quibus nihil videre poſſunt, auribus
Non audiunt fictis ſibi: nares habent,
Sed nil odorari his queunt: quid tangere
Hos arbitramini manu iſta lignea?
Non ambulant vnquam ſuis veſtigijs,
Et non ſonum edunt deniq́, vllum gutture.
Quapropter hac in re feris ne ſunt quidem
Omnino vani gentium pares Dei.

Qui ſingit artifex Deos huiuſmodi,
Et cuncti, eis qui ſupplicant, fiant pares.
Sed impiæ gentes Deis fidant ſuis:
Iacobei vero Deo confidite
Veſtroq́; præſidio, atque propugnaculo:
Vos nati Aharone huic Deo confidite
Veſtroq́; præſidio, atque propugnaculo:
Numen colentes huic Deo confidite
Veſtroq́; præſidio atque propugnaculo:
Quod numen appellare ſic pium libet.
Sis ô memor noſtri Deus, domum tui
Foueas & Iacobi, atque Aharonis, pio
Huic cœtui pater comes ſit fauſtitas:
Iuueni, ſeniq́ue priſtinis bonis noua
Addens, eos, genuſq́; dulce ſoſpita.
Pater ſupremus corripit vos, omnia hæc
Quibus precor: ſed eſtis huic cariſſimi,
Cœlum qui habet, terramq́; nobis hanc dedit
Habendam, vt à nobis canatur ipſius
Numen, celebrenturq́; laudes canticis.
Quòd ſi tuum permittis his à gentibus
Deleri Hebræum, quis feret te laudibus?
Quis te colat ſanctè, pieq́ue rex Deûm?
Num quæ execrantur nationes te improbæ?
Num mortui, cauoq́; ſaxo conditi?
At ij tuam qui gloriam in terris canent?
Ne totus ergo te, & tuam laudem, & tuum
Obliuione numen orbis deleat,
Nos nominis cauſa tui hoſte libera

Quan-

Quandoquidem laudes celebrabunt tuas
Non nationes impiæ, non mortui,
Sed nos, quibus vitalis aura carpitur,
Qui numen vnum Hebræi adoramus tuum.

ARGVM. PSAL. CXVI.

Cuius benignitate inhumaniſsimas
Euaſerat gentes, agit grates Deo.

PSAL. CXVI. SPINVLAE.

MEum omnem amorem collocaui in cœlitum
Summo Deo, *quòd me audijt:*
Quòd me audijt, ſemper, quoad viuam, ipſius
Sancta inuocabo numina.
Verſabar in periculis, me obiuerant
Anguſtiæ, metus, dolor,
Afflictio, mors pallida, & vos inferæ
Diris ſorores crinibus:
His è malis ciui fidem Dei *mei,*
Atque inde me ſtatim eruit.
Quàm deprehendi manſuetum, æquum, pium,
Ac lene numen ipſius,
Qui non tulit me orare innaniter, meam
Nec opprimi innocentiam.
Quapropter appellabo ſic mentem meam,
Quæ triſtis hactenus fuit,
Quandoquidem qui humillimos ſeruat Deus:
Mens ô mea, affuit mihi
Imbelli, inermi, & deſtituto viribus,
Qui quod petiſti, præſtitit,
Ad æquitatem iam tui reuertere
Animi, agitaq; gaudium:

A morte vindicauit ille me, meis
Et lacrimis finem dedit,
Pedeſque firmauit meos, mecum & ſuum
Communicauit ſpiritum,
Qui roborat animi mei vires ita,
Mentiſq́, præceptorum vti
Stadium Dei *poſſim* Deorum *vlla ſine*
Offenſione currere.
¶ *Illud quidem vero (quod aiunt) verius*
Eſt, quod loquebar in mea
Trepidatione pergraui, magna obrutus
Afflictione, cùm mihi
Sic dicerem ipſe, Falſus eſt quiuis homo,
At verus eſt ſolus Deus:
Quapropter ille, vt ſpero, crudeliſsimis
Me liberabit hoſtibus.
Cui quid rependam, gratus eius officij,
Studijq́ue magnitudini,
Mihi ſalutem qui attulit, qui ciuibus
Proſpexit omnibus meis?
Periculis defunctus & conuiuia
Illi celebrabo ſacra,
Vt gratias agentibus mos eſt Deo,
Deoq́ue libabo meo,
Vitam, & ſalutem qui meam tutatus eſt
Mihi, actionis poculum
Hoc gratiarum, numen illius vocans,
Cui debeo ſoli omnia.
Lætabor vniuerſa ei, cœtu pio

Spe-

Spectante, vota ſoluere,
Quæ nuncupaui in irruentes impetum
Facturus aduerſarios.
Magno viri mortem integri ſic æſtimat,
Vt difficulter hunc ſinat
Cædi impio: appellabo cuius numina
Oratione hac ſupplici:
Cæleſtium ſator tibi grates ago,
Seruum benignè quòd tuum,
Seruum piæ quod filium ancillæ tuæ
Statim eruiſti ab hoſtibus,
Qui copijs in me ruebant pluribus.
Quò victimam gratam tibi
Mactabo, gratias agam, atque laudibus
Feram polo numen tuum.
In ciuitate illa Hieroſolyma, ſacris
In atrijs domus Dei,
Cœtu pio ſpectante, patri cœlitum
Quæ nuncupaui pro mea
Salute pugnaturus hoſte cum effero,
Studebo vota ſoluere.

ARGVM. PSAL. CXVII.

Hortatur omnes ad celebrandum patrem.

PSAL. CXVII. SPINVLAE.

Efferte gentes vniuerſæ ad æthera,
Efferte cunctæ nationes laudibus
Summum patrem: benignitas enim illius
Magis, magiſq; nos iuuat: Deus *ſuum*
Nunquam genus, fidemq́ue pactam deſeret.

ARGVM. PSAL. CXVIII.

Cantauit hunc hymnum pius rex, cùm hoſtibus
Victis poteſtatem acciperet à numine.
Deductus ad templum ſuæ à frequentia
Gentis, ageretq́ue gratias ſummo patri.

PSAL. CXVIII. SPINVLAE.

Habete gratias Deûm *regi pio:*
Clementia, & benignitas
Eſt iugis in nos ipſius. iam prædicet
Genus pium Iſraëlis hoc,
Clementia, & benignitas, & ipſius
Eſt iugis in nos lenitas.
Sacriq́ Aharonis domus iam prædices,
Clementia & benignitas
Eſt iugis in nos ipſius. iam prædicent
Numen colentes omnibus,
Clementia, & benignitas, & ipſius
Eſt iugis in nos lenitas.
In maximis anguſtijs Dei *mei*
Ciui fidem, atque exaudiens
Me vindicauit impijs ab omnibus
Securitatem in priſtinam.
Quod me tegit manus Dei, *à mortalibus*
Nihil reformido improbis.
Quòd me iuuat Deus, *meis hunc de hoſtibus*
Pœnas videbo ſumere.
Spem melius eſt Deûm *omnium ſummo patri*
Habere quàm mortalibus:
Spem melius eſt Deûm *omnium ſummo patri*
Habere, quàm primatibus.
Etſi vniuerſæ, gentium me copiæ

Solum,

Solum, atque inermem inuaſerant,
Veruntamen potente fretus dextera
Patris, repente has ſuſtuli.
Etſi vndequáque me impiorum exercitus
Furentium circundarent,
Veruntamen potente fretus dextera
Patris, repente hos ſuſtuli
Quales apes lignum, atque vti ignis pabula
Sicca admodum me obſederant:
Veruntamen potente fretus dextera
Patris, repente hos ſuſtuli.
Adortus eſt me, maximo ſtudio impulit
Hoſtis furens, vt funditus
Euerteret: ſtatimq́, opem mihi tulit
Summus pater cœleſtium
Robur meum, quem laudibus cœlo efferam,
Mihi ſaluti quòd fuit.
Iò triumphe vox Deo *canentium*
Sacris bonorum ex ædibus
Cantu audiatur gratulanti de mea
Salute, Dignitateq́ue.
Iò triumphe, dextera æterni patris
Victoriam bonis parit.
Summi parentis dextera & mortalium
Rectoris, & cœleſtium.
Fortiſſima inquam dextera inuictiſſimi
Deûm patris victoriam.
Bonis parit, parit triumphum, diſſipans
Hoſtes piorum acerrimos.

Quod vicerim aduerſarios bello meos,
Quòd dignitatem regiam,
Et amplitudinem meam ſeruauerim,
Non attribuo prudentiæ,
Non viribus meis, ſed ipſius patris
Benignitati maximæ.
Non occidam, ſed per Deum viuam, mei
Et facta vindicis canam.
Vt filiorum amentiam patres leui
Seueritate comprimunt,
Sic me ipſe caſtigauit æternus pater
Cœleſtium, haud letho dedit.
Heus pandite has templi mihi fores, Deo
Ingreſſus vt grates agam.
Hæc porta diui æquiſsimi, quà omnes pij
Eunt adoratum patrem.
Quàm gratulor tibi Deus, *quòd audiens*
Salute me donaueris.
Vt angulum occupat lapis, quem fabricæ
Sanctæ architecti tempſerant,
Et continet duos parietes, ſic ego
Deſpectus à primarijs
Vrbis ſacratæ per Dei *clementiam*
Autoris iſtius rei,
Et regnum Hebræorum occupaui, & gentium:
Quo quid magis mirabile?
Qua de re ita & Iudæa gens clamet, ſimul
Et nationes protinus,
Nobis dies eluxit hæc lætiſsima.

Per cœlitum regem pium:
Lætitia in hac, & geſtiamus gaudio.
Olim vſitatis patribus
Vocetis acclamationibus Deum,
Dona ſalute nos Deus,
Felicitate nos Deus *dona obſecro.*
Sit vox ſacerdotum ducem
Intra ſacræ excipientium ædis ianuam:
O nuntium gratiſſimum,
O ter, quaterq́ nuntium diuum, patre
Qui ſe auſpice iſtuc appulit.
O vos ſatis, ſuperq́ fauſtos, ô bene
Queis ominati ſæpius
Eramus, & aliâs bona precati omnia,
Felicitate millies
Feliciores nunc Dei *aurea in domo,*
Vbi vos Deus *luce irrigat,*
Præſentem vbi veſtrum intuemini ducem,
Regemq́ præſentes pium.
Lætiſſimis aras coronis cingite,
Velate feſtis frondibus
Totam per vrbem. fanum & in ſanctiſſimum
Iudæa gens ſe conferat,
Clametq́ ſic: Es tu Deus *numen meum,*
Agam tibi grates, Deus
Tu numen es meum, efferam te laudibus.
Habete gratias Deûm
Regi pio: clementia, & benignitas
Eſt iugis in nos ipſius.

ARGVM. PSAL. CXIX.

In quo beata vita, & immortalitas
Sit, maximum quam rem Deum
Oremus hoc poëta carmine edocet.
Et hoc quidem poëmate,
Quo ſingula incipiunt Hebræi carmina
Odes ſuperſcripta à nota,
Olim pij vatis canora barbitos
Antiquius nil edidit.

PSAL. CXIX. SPINVLAE.

א ODE I.

BEATVS *ille, qui ſtudet*
Virtuti, & innocentiæ,
Ita hîc agens, vt lex Deûm
Patris iubet ſanctiſsima,
Beatus ille, qui Deo
Paret, ſatiſq; numini
Piè facit, placereq;
Ipſi ſtudet pro viribus,
Et omne deſerit ſcelus
Diſſentiens ab impijs,
Et degit ad normam ipſius
Summi Dei *ætatem, hîc ſuam.*
Tu præpotens rerum Deus,
Nihil aliud mortalibus
Vt maximam obſeruantiam
Tui inſtituti, præcipis.
Mores vtinam eos conſequar,
Ac induam, quibus tua

Præ-

Præcepta curem iugiter,
Quæ ſola nos verè beant.
Non fruſtra ero per te pater,
Auras in iſtas editus,
Præcepta ſi tua omnia
Conſcripta lege attendero.
Si de tua ſententia
Me edocueris iuſtiſſima,
Sincera agam DEUS, *fide,*
Quas debeo, grates tibi.
Mandata perſequar tua,
Non deſinam vita & viam
Salutis ire: ſed precor
Omnino ne me deſeras.

ב ODE II.

EFFRENA *pubes quî prius,*
Quàm conſeneſcat in malo,
Mores pudicos induat?
Dicta exequatur ſi tua:
Toto ſtudebo pectore
Tibi placere, ſed meam
Infirmitatem robora:
Æquum tuum ne deſeram.
Iuſſa in latebris intimis
Animi recondo diligens
Tua omnia, in te ne immemor
Peccare rurſus audeam.
Verùm mihi ne id accidat
Vnquam, celebrando ô DEUS,

Pla-

Planè tuo de oraculo
Sententiaq́ me edoce:
Vti nihil tam me iuuet,
Quàm facta ſemper eloqui
Hæc magna numinis tui,
Quæ terra, & aſtra concinunt:
Vti magis de ſortibus,
Et lege glorier tua,
Quàm qui ſibi immenſas opes
Regis parauit Attali:
Vt ſancta cogitatio
Totum diem me detinens
Iuſsis tuis in mollibus
Verſetur vſque ad veſperam:
Vt vna delectatio
Tui inſtituti ſit mihi:
Tui inſtituti vt obruat
Me nulla per te obliuio.

ג ODE III.

SERVO *tuo mi conſule,*
Qui proſpicis vel ſontibus:
Aura poli me recrea,
Et exequar iuſſum tuum.
Vt alta doctrinæ tuæ
Intelligam myſteria,
Aciem meam quæſo DEUS
Obſcuriorem illumina.
Patrij quidem non hîc lares,
Non hîc mihi ſunt aduenæ:

Mon-

Monſtra pater cœleſtium
Vitæ mihi viam obſecro.
Et cor, & artus admodum
Languent mihi, quòd vtiles
Præceptiones iugiter
Cognoſcere affectant tuas.
Nam carpis omnes impios,
Et execrare, quòd tua
Decreta negligunt, ſuæ
Vt ſeruiant cupidini:
Qui quòd tuis oraculis
Credo, ecce contumelijs
Probriſq́, vexant me, à quibus
Clemens rogo me vindica.
Hi ſe viris primarijs
Iungunt, meo & de ſanguine
Cum illis ſedentes conſulunt,
Leges tuas dum cogito:
Quæ ſola delectatio
Mea eſt malis in omnibus:
Quod conſili eſt, per te ſacro
Ex hoc mihi fonte haurio

ד ODE IIII.

VERSOR *graui in periculo,*
Et ſum ferè oppreſſus, mihi
Defende vitam oro DEVS,
Promiſſaq́ tua appareant.
Mos eſt mihi, vt tuum prece
Numen fatigem, cùm premor

For-

Fortuna: & ipſe me iuuas;
Decreta me ergo tua edoce.
Tua ergo me lege imbue:
Meditatione vt illius
Corroboratus hîc malis
Tantis reſiſtere valeam.
Nam fractus anxitudine
Animus meus iam deficit:
Mihi feras opem, tibi
Promittis vt fidelibus:
Vt vanitate abhorream,
Quam lege ſacrata pater
Tua relegas vtque amem
Æquum tuam per gratiam:
Vt veritatem amem tuam
Mirum in modum, quam diligo
Prudens, tuas ſententias
Rectumq́ proponens mihi:
Vt digeram ſemper tua
Mandata, ne ſine ergo, vti
Quæ ſemper eſt in te mea
Decollet hæc me ſpecula.
Præcepta nam tua omnia
Curabo ad vnguem, cùm (Dei
Quæ eſt lenitas) me è tot malis,
Anguſtijsq́ exemeris.

ה ODE V.

INSTITVE *me quæſo Deus*
Supreme doctrina tua

Le-

Legis ſacroſanctæ, ac eam
Omni tenebo tempore.
Eam mihi prudentiam
Præbe, tua hæc qua intelligam
Decreta: & impiger tibi
Optemperabo iugiter.
Tandem pater dulciſsime,
Arctam in viam me ducito,
Quæ ducit ad regnum tuum:
Quo nil mihi eſt optatius.
Oraculum fac ad tuum
Animus rogo propendeat,
Non ad voluptatem meus,
Fluxæque vitæ commoda.
Meos ocellos iſtius
A vanitate ſeculi
Verte ad polos: foue in via
Vitæ oro me, atq; fulcias:
Vt, ſi cadam, ne dedecus,
Quod horreo, incurram graue:
Hoc tolle, iudicio tuo
Eſt ſi comes benignitas.
Legem ſacroſanctam Deus,
Et imperata amo tua:
Ergo æquitate pro tua
Defende vitam oro meam.

ו ODE VI.

ILLVD *mihi per te Deus*
Contingat, vt ſim particeps

Clementiæ tuæ: vt mihi
Dignatus es promittere:
Vt ſit mihi quod impio
Reſpondeam, qui me ſolet
Ridere, quòd me predico
Pendêre promiſſo ex tuo:
Ne veritatem deſeram
Omnino, cui ſententijs
Eſt ſpecula omnis in tuis,
Queis eſt amica lenitas:
Vt continenter legibus
Hic ſub tuis ætatem agam,
Metam quoad breuiſſimæ
Tangam viæ mortalium:
Vt qui ſtudeo iuſſis tuis,
Cœli fouente ſpiritu
Sit quod iubes, non aſperum,
Sed ſuauitate ſuauius:
Vt liberè de oraculo
Tuo loquar coram impijs
Mortalium primarijs,
Orbiſq; magni regibus:
Dictis vt oblectem tuis
Me, & legibus cœleſtibus:
Quas diligo quidem, ſed has
Amare peruelim magis:
Vt ſumma alacritate ea
Cuncta faciam, quæ lex tua
Amanda nobis præcipit,

Decretaq́ mediter tua.

ר ODE VII.

SED *oro tandem ſis memor*
Quid tu mihi receperis,
Meipſum quod in ſpem ducere
Cœpit tuæ clementiæ.
Nam deſtitutus à mea
Vita in malis forem, niſi
Promiſsionis iſtius
Me dicta fulſiſſent tua.
En quòd tibi fido, arrogans
Me ludit: attamen tua
Me à lege nunquam confero
Vanam ad voluptatem illius:
Sed cogito mecum quibus,
Quantiſq́ præmijs viros
Semper bonos affeceris:
Quod admodum me recreat.
Horreſco, cùm in mentem venit
Doloris æterni omnium
Mortalium qui audent ſacras
Leges tuas perfringere.
Qui cùm moleſti ſunt mihi,
Hæc ſolor exili mala
Terræ in loco miſerrimæ
Tuis canendis legibus.
Et illi adhæc cùm dormiunt,
Cubantq́, virtutis tuæ
In cogitatione ego

Tunc conquieſco peruigil:
Præſtare quæ pro viribus
Tendo, inſtituta uti tua
Rebus tenens in omnibus
Fruar perenni gaudio.

ח ODE VIII.

TV, *non bona hæc vulgaria:*
Tu ſors mihi, & peculium:
Quo uti fruar, dictis pater
Parêre conſtitui tuis:
Quare oro ſupplex, & precor,
Votis & omnibus expeto,
Vt, quod recepiſti, exitum
Cœptis meis des proſperum.
Vitæ inſtituto, & moribus
Cunctis meæ excuſsis, mea
Verto ſtudia legem ad tuam
Omni tenendam tempore.
Quòd in meis rationibus
Nihil boni ipſe comperi,
Maturo feſtinus tua
Adiuſſa curanda ocyus.
Et quanquam ob hoc in maximis
Per impios ſim anguſtijs,
Malo mihi vitam tamen
Hanc, quàm religionem eripi:
Nox cùm ſopore hos irrigat,
Grates ago tibi pater,
Idq; ob tuas ſententias,

Queis eſt amicalenitas.
Adiungo me omnibus pijs,
Vt ipſe præcipis, tuum
Colentibus numen, tua
Mandata perſequentibus.
Sed pro tua clementia,
(Cuius quis hoc non eſt Deus,
Terrarum in orbe particeps?)
Decreta me tua edoce.

ט ODE IX.

QVANDO *tuum numen colo,*
Me iam foue donis tuis,
Sicut recepiſti pater:
Mentem meam oro illumina:
Guſtumque ſana animi mei,
Verbis tuis qui credidi:
Quò vera ſentiam bona,
Aliaq́, amara iudicem:
Qui cùm vniuerſa cederent
Mihi ſecunda, plurima
Contra voluntatem tuam
Feci antè, quàm me cæderes:
Nunc pareo legi tuæ,
Cuius mihi ipſe, qui bonus
Clementiam impertis tuam,
Trade obſecro ſcientiam:
Quam obſeruo legem, etſi impius
Pietatem adumbratam & mihi
Commenta fingat impia,

 Spe-

Sperans me ad hæc traducere:
Qui mentem habet craſſam, & hebetem,
Quam alit voluptate hic fero
Empta dolore: legibus
Sed ipſe me oblecto tuis.
Afflictio ergo commoda
Et vtilis fuit, tuo
Quæ fecit vt mi oraculo
Antiquius nihil foret.
Doctrina ſubtiliſsima,
Serenaq; hæc mihi tua
Eſt gratior, quàm millia
Argenti, & auri pondera.

ODE X.

QVI *iſta creaſti me manu*
Rex, autor omnium, & pater
Legis tuæ ſcientia
Me oro imbue ex ſententia:
Vt cùm boni me viderint,
Cordi quibus numen tuum eſt,
Lætentur, vno quòd meam
In te fidem locauerim.
Id quando perſuaſiſsimum
Mihi eſt, quòd à te non niſi
Æquiſsimum manat, boni
Quòd verberas me, conſulo.
Sed vt recepiſti, tua
Solare me clementia,
Iacentem & afflictum erige,

Aura

Aura tua me recreans.
Benignitatis fac tuæ
Tandem obſecro ſim particeps,
Qui lege delector tua,
Vitam vt perennem conſequar.
Verùm ſuperbos deſere,
Qui iugiter negotium
Mihi faceſſunt, ac ferè
Ludunt, tibi quòd ſeruiam.
Quò numen à colentibus
Me inire cures gratiam,
Qui ſunt mihi clementiæ,
Legiſq; conſortes tuæ:
Vt inſtituta cum his tua
Mentem mihi puriſsimam
Reddant: & hæc ne me mea
Decollet vnquam ſpecula.

ב ODE XI.

ANIMVS *meus me deficit,*
Cor languet, ac membra omnia
Longa tui auxili mora
Quo nititur ſalus mea.
Cadunt ocelli languidi
Domus ab aſpectu tuæ,
Dum cerno promiſſa huc fides
Si qua veniat ad me tua.
Præ magnitudine iſtius
Afflictionis ſit licet
Cutis mea exeſa admodum,

Suſpenſi vt vtres ad focum,
Legis tuæ attamen memor
Te oro: quouſq; differes
Opem tuam? pœnas meis
Ecquando ſumes de hoſtibus?
Qui quòd ſuperbè negligunt
Legem tuam, latam bona
Fide vtilem, quà tranſeo,
Scrobem cauant mihi in via.
Tandem feras opem mihi,
Horumq; ab inſidijs, ſolent
Qui iniuria me perſequi,
Defende vitam oro meam:
Qui, me feri quanquam (vt vides)
Penè eruerunt funditus,
Veriſſimum tamen tuum
Oraculum non deſero.
Qua de re ab his me pro tua
Benignitate vindica:
Et ipſe parebo omnibus
Dictis tuis ocyſſimè.

ל ODE XII.

VT *fata permanent tua,*
Vt durat omni tempore
Telluris orbis, vt poli
Non axis vnquam corruet,
Sic veritate pro tua
Deus perenni lex tibi
Cœleſtis hæc ſtabit tua.

In ſem-

In ſempiterna ſecula.
Quicquid creauiſti in polo,
Hucuſq; conſtitit tua
Id quale erat factum manu:
Quòd ſeruiunt tibi omnia.
Sed me niſi hæc meditatio,
Et lex, dediſti quam mihi,
Id afferant ſolatij,
Telis ruam oppugnantium.
Quare meo non pectore,
Dum vixero, tua effluent
Mandata, per quæ ab hoſtibus
Vitam tueris hanc mihi.
Semper tuos dixti fore
Mandata, curantes tua,
Ergo ipſe ſum tuus, igitur
Ab hoſtibus me vindica:
Quibus mihi inſidiantibus,
Vt enecent, facto mihi
In hos quid eſt opus, monent
Legis tuæ volumina,
Quæ ſine ſola deficit,
Cùm nil ſit à te hîc conditum,
Cuius diem fati vltimum,
Aut exitum non viderim.

מ ODE XIII.

QVAM *ſic amo legem tuam,*
Vt continenter ſit mihi
Nil, quod putem libentius:

Quæ valde profuit mihi:
Prudentiorem hæc omnibus
Me fecit aduerſarijs
Diuina cogitatio,
Quæ iugis eſt mihi comes:
Ipſiſque præceptoribus
Sum, quòd meditor oraculum
Tuum, ſcientior, magis
Cautus, magiſq; prouidus:
Quòd curo præceptum tuum,
Seni anteeo prudentia,
Euado cunctis & viris
Sapientior ſapientibus;
Quòd me rego dictis tuis,
A calle mortis in viam
Vitæ mea omni tempore
Hæc torqueo veſtigia.
Quare ſequor quod iudicas
Tu, non quod ipſe ſentio.
Qui affecto mortalem mihi
Spem tantùm, & hæc mania.
Mihi tua alloquia Deûm
Ambroſia, & omni nectare,
Et dulciora roſcido
Sunt melle quàm dulciſſimo.
Quæ cuncta per legem tuam,
Qua me erudis quotidie,
Ipſe aſſequor: ſtatui ideò
Cauere mores improbos.

ℨ ODE XIIII.

QVID multa? lex pater tua
Præclara ſplendet hæc mihi
De nocte eunti non minus,
Quàm Solis aurei iubar.
Quare ipſe iuraui (quod &
Præſtabo) me tenturum eam,
A te omnium iuſtiſſimo
Fide optima latam vtilem.
Sed vrgeor quàm maximè
Rex præpotens, quare precor
Mihi caueto, vt ſortibus
Verus recepiſti tuis:
Vt gratias agam, & tuas
Laudes canam acceptas tibi:
Sed de tuis ſententijs
Pater beate, me edoce:
Quando ne in hoc tanto quidem
Vitæ meæ diſcrimine
Sanctiſſimas leges tuas
Obliuione deleo,
Quando licet viri impij,
Præcepto abhorrent qui tuo,
Laqueum mihi tendant, tamen
Mandata digero tua,
Quando, peculium vt meum,
Oracula amplector tua,
Quæ ſola mentem, & cor mihi
Implere gaudio ſolent,

Quando appuli ad leges tuas
Animum tenendas iugiter,
Iam de tuis ſententijs
Pater beate, me edoce.

ODE XV.

EX *quo inſtituta egomet tua*
Amare cœpi, proſequor
Odio impios: qui, quòd tibi
Fido, inſequuntur me, vt vides.
Sed ipſe, qui omnino ex tua
Promiſſione pendeo,
Temno hos, ſalus pater mea,
Tutumque propugnaculum:
Et clamo, ſitis ô procul
Nequam maligni: cur mihi,
Præcepta qui curo Dei,
Affertis hanc moleſtiam?
Vita perenni vti fruar,
Quando mea ſpes nititur
Tibi, obſecro me fulcias,
Promiſſaque tua appareant.
Me fulcias, me robora
Virtute, me ſerua obſecro
Tibi, idq́ decretis vti
Me ſemper oblectem tuis.
Contrà vrgeas iſtos furens,
Decreta qui euertunt tua:
Quod machinantur in pios,
Redundet in caput ſuum:

Qui

Qui ſemper exigis à bonis
Totius orbis impios,
Vt artifex ſcoriam ſolet
A candido auro tollere.
Quò dicta amo tua: at nimis
Horreſco: cùm in mentem venit
Iugis dolor mortalium,
Qui iuſſa reſcindunt tua.

ϒ ODE XVI.

RECTE, *& geram cuncta ordine,*
Faciamq́, ne me dede eis,
Qui continenter opprimunt
Fera pios tyrannide.
Me facita oblectem bono,
Rectoq́, temnam vt omnia
Terrena, & omnes, quas mihi
Faciunt maligni, iniurias.
Languent ocelli iam mihi,
Dum ſuſpicio, videns mihi
Si fortè promiſſum tuum,
Tandemq́, deſcendat fides.
Ecquando cœli ianuam
Clauſam aperies? & (quæ eſt tua
Clementia) ecquando mihi
Mittes recepta munera?
Me, quippe qui tibi omnia
Studia dico, & animum meum,
Me iam tuo de oraculo,
Et de inſtitutis erudi:

Quæ

Quæ quòd maligni euertere
Pergunt Deus, *necato eos:*
Nam tempus appetit, tuo
Quo vulnerentur fulmine.
Quæ ſupplicia timens, tuo
A numine edoctus ſacram
Legem tuam plus diligo
Quàm regnum, & auri copiam:
Rectéque prorſum vtor tuis
Iuſsis, & omnes improbos,
Malamq́ue conſuetudinem
Deuito iniquorum omnium.

ODE XVII.

QVOD *mira ſunt oracula*
Cœleſtium parens tua,
Affectus eſt animus meus
In illa maiorem in modum:
Quorum ſcientiam ſi homo
Quiuis rudis primoribus
Deguſtet auream labris,
Is ſit peritus illico.
Vt cerua aquas deſiderat,
Quamuis canum ſagacium
Vrente Sole arua egerit,
Mandata cupio ſic tua.
Me iam miſertus reſpice,
Tractaq; clementiſsimè,
Eum vt ſoles, qui diligit
Numen tuum ſanctiſsimum.

Fac

Fac dirigatur ad tui
Normam inſtituti omnis mea
Hæc ratio viuendi, vt nihil
Prorſum ſit in me criminis.
Mortalium me à iurgio,
Iniurijſq; vindica:
Vt ſemper vtar diligens
Præceptionibus tuis.
Splendore me illuſtra tui
Vultus, tenebras qui fugat:
Eas vias vt conſpicer,
Quà peruenitur ad DEOS.
Decreta me doce tua:
Quæ quòd maligni horrent, mihi
Dolore præ ingenti acriter
Genas rigaui fletibus.

Y ODE XVIII.

QVOD *iuſtus es, verus, bonus,*
Sancis quod eſt æquiſsimum,
Quod iudicas, veriſsimum,
Quod imperas, eſt vtile,
Quin ipſa potius (vt patet)
Sunt æquitas, verum, & bonum:
Noſtrum in genus tanta eſt tua
Clementia, & benignitas.
Verùm moleſtè fero, meis
Quòd hoſtibus dementia
Sit tanta, vti has leges tuas
Violent, hoc eſt, vitam ſuam.

Nam

Nam puriora auro tua
Sunt verba, quod ſæpe artifex
Purgauit igne: quæ meam
Vel ſola mentem illuminant;
Quæ, quàm volent, vſque impij
Viri horreant, me etiam horreant,
Et inſequantur iugiter,
Quòd illa facio plurimi.
Nam iuſtitia, lex & tua
Erunt perennes: temporis
Eaſque circunſcriptio
Non vlla metiri valet:
Id quod mihi gratiſſimum
Eſt in malis ſolatium:
Anguſtijs me ſuſtinent
Decreta in his ſolùm tua.
Quæ legis immortalis eſt
Tuæ æquitas, fac ſeruiam
Ei Deus, vt & ſic mihi
Contingat immortalitas.

ϙ ODE XIX.

TOTO *(quod aiunt) pectore*
Pater fatigo te prece:
Exaudias me oro, & tuæ
Præcepta legis exequar.
Eaque gratia inuoco
Numen tuum auguſtiſſimum
Cæleſtium rex, vt tuis
Oraculis obtemperem.

Non

Non ſegniter fundo preces
O cui mea ſpes nititur,
Sed antelucanis vigil
Horis fidem imploro tuam.
Quin ſæpe noctes integras
Tua meditando oracula
Veriſsima exigo, vt meæ
Aurem tuam preci applices.
Orationem ergo meam
Benignitate pro tua
Tandem audias, vitam & feris
Defende ab hoſtibus meam.
Qui fratribus negotium
Suis faceſſunt optimis,
Decreta qui euertunt tua,
Adſunt, vt in me vna ruant.
Qui conſulens mortalibus
Legem tuliſti æquiſsimam,
Veram, vtilem numen tuum
Vocanti ades quæſo mihi:
Ades rogo, feras opem
Mihi receptam legibus
Tuis, in æuum quæ manent,
Terrarum vt orbis, & poli.

ק ODE XX.

AFFLICTIONEM *reſpice*
Meam, atque ab aduerſarijs
Me vindica: nam lex tua
Non effluit animo meo.

Cauſam meam tu ſuſcipe,
Vindex meus, meq́; aſſere
Promißione pro tua
Ab hoſte, ſerua me obſecro.
Omni ſalutem qui bono,
Non impio affers, quòd tua
Hic iuſſa reſcindit, ſacram
Legem ille ſuſpicit tuam.
Quare æquitate pro tua
Tuere me his ab improbis,
Qui es vnus haud effabili
Benignitate præditus.
Non multitudo compulit
Horum fidem me ſoluere:
Quæ ſunt eis oſtentui,
Oracula amplector tua:
Quod intuens & mæreo,
Et valde diſcrucior pater.
Illos tuas perfringere
Leges, bonoſq́ue perdere?
Verùm (tua eſt quæ lenitas)
Tandem me ab his quæſo eripe,
Qui diligo legem tuam,
Quæ eſt vera, & admodum vtilis.
Æternitate ab omni id eſt
Verum, quod eſſare, & tuæ
Sententiæ æquæ erunt DEUS,
In ſempiterna ſecula.

ש ODE XXI.

QVARE *tyranno iniuria*
Heu me inſequente non tam eos
Formido, vt enecent, tua
Quàm vt inſtituta deſeram.
Vt fortè pauper incidens
Amiſſum in argentum exilit,
Sic ipſe decretis tuis
Per te repertis gaudeo:
Quæ ſic amo, exequor, colo,
Ex quo indicaſti ipſe hac mihi,
Deteſter vt alia omnia
Ceu falſa, & odio proſequor.
Te ſepties die extuli
Laudum ad polo præconijs:
Quòd vniuerſæ ſunt tuæ
Sententiæ iuſtæ, & piæ.
Sed quanta pax amantibus
Legis tuæ conceditur:
Non fers eos incurrere
Deus, nec vnquàm offendere.
Meæ ſalutis anxius
Expecto dulcem nuntium:
Iuſſa interim faceſſere
Non deſino pater tua.
Qui ſum tui non immemor
Sancti, & verendi oraculi:
Hoc tanto amore proſequor,
Vt nil mihi ſit carius.
Mandataq́ obſeruo tua,

Sorteſq́;, cui notiſsimum
Eſt omne opus, ſenſus mei,
Et cogitatio intima.

ת ODE XXII.

QVARE *obſecro* Deûm *parens,*
Thronum ad tuum admittas meam
Precem, tua à te quæ expeto
Promiſſa: me tandem erudi,
Orationi ne meæ
Locum relinquas in polo:
Defende me, iuua, & potens
(Sicut recepiſti) foue.
In numen ingratus tuum
Pater beate non ero:
Grates agam tibi, tuis
Si me inſtitutis imbues:
Nihil iuuabit me, niſi
Tuo loqui de oraculo,
Eſt cuius omne æquiſsimum
Præceptum, & admodum vtile.
Me ergo tegat manus tua,
Quæ deprimit ſontem, & fauet
Semper bono, qui amat ſacram
Legem tuam omni tempore.
Nam iuſſa diligo tua:
Quin vna delectatio
Legis tuæ eſt mihi in ſolo
Iſtius orbis exili.
Ergo cupientem me tuam

Defen-

Defenſionem oro tuæ
Sententiæ adinuent, mea
Vt viuat anima, & te canat.
Solis vt ouis in montibus,
Paſtor domi quam credidit
Eſſe, perij: me quærito
Adhuc tui qui ſum memor.

FLAMINIVS
DE INSCRIPTIONE XV.
HYMNORVM QVI
ſequuntur.

Ter quinque, qui ſequuntur hymni, cantica
Graduum vocantur, iſtiuſq; nominis
Quæ vis in iſto ſit loco, iam plurimi
Interpretantes protulere plurima:
Sed illa ſic incerta, fabuloſaq;,
Vt ipſe malim confiteri liberè
Neſcire me, quod neſcio. tu candide
Lector, quod iſtis continetur canticis
Dum diligenter, explicamus obſecro
Attentum animum adhibe, tametſi inſcriptio
Quid ipſa ſibi velit, explicare non datur.
Nam totq;, tantaq; poteris cognoſcere
In his poëtæ verſibus ſanctiſſimi,
Vitam beatàm maximè attingentia,
Vt curioſus ſis licet, animo tamen
Æquo ferendum ſit, quod vnum hoc neſcias.

ARGVM. PSAL. CXX.

Se patria pulſum inter iniuſtiſsimam
Gentem queritur hoc carmine,

PSAL. CXX. FLAMINII.

OPpugnat hoſtis impius caput meum,
Meaſq́; fortunas: ego
Contra piarum me tegam ſcuto precum:
Nam vocibus dexter meis
Aures amicas admouet ſemper DEUS,
Vt filio dulcis pater.
A viperino dente, acerbo à vulnere
Oris doloſi domine me
Defende, ſæua lingua ne vitam mihi
Suis venenis auferat.
Doloſa lingua quem tibi fructum feret?
Quid turpibus mendacijs
Lucrabere, præter odium Dei miſer,
Et omnium mortalium?
Qualis ſagitta milite à fortiſsimo
Contorta, qualis ignea
Nutrita vis iuniperi olentis caudice,
Talis venenata impij
Lingua eſt. Miſer, miſer ego iam nimium diu
Cum gente viuo barbara.
Me pax iuuat, & mutui concordia
Amoris ardens ignibus:
At iſta gens, de pace cùm loquor, nihil
Crepat niſi necem, & ſanguinem.

ARGVM. PSAL. CXXI.

Periculis in maximis vates docet
Eſſe exciendam opem Dei.

PSAL. CXXI. FLAMINII.

Dum me cruentus hoſtis vrget, lumina
Montes ad altos ſuſtuli,
Vnde ille rerum præpotens pater omnium,
Terræ, poliq; conditor,
Fruſtratus hoſtem barbarum, mittet mihi
Opem benigno numine.
Nunquam ille ſæuis impiorum incurſibus
Tuam ſinet conſtantiam
Labare victam: dormiet nunquam tuæ
Salutis ille negligens:
Qui ciuitati præſidet ſanctiſsimæ,
Nunquam profectò dormiet
Hærebit ille ſemper ad dextrum latus
Fidiſsimus comes tuum:
Vmbraculiq; tecum amabilis vice
Fungetur optimus pater,
Ne feruidus te tangat aut Sol, aut graui
Luna inſalubris lumine.
Quodcunq; ages, vbicunq; eris, domi, foris
In vrbe, in agro, tecum erit
Semper beatus cælitum rex, & pater,
Fortunet vt tibi omnia:
Suaſque ducet tandem ad domos, vbi
Æterna viues ſecula.

ARGVM. PSAL. CXXII.

Omnes ſolebant ter quotannis viſere
Templum Dei. hoc inducit ergo carmine
Lætantem Hebræum tempus aduenisſe, quo
Adiret vrbem, cui precaretur bene.

PSAL. CXXII. FLAMINII.

O Quale cœpi gaudium,
Cùm dicerent adibimus
Templum Dei ſanctiſsimum.
Te magna viſam ciuitas
Tectis, vijs, & mœnibus,
Et ciuium concordia
Florentem & almi numinis
Tutela. agris ex omnibus
Et oppidis gens plurima
In te piorum ſingulis
Annis ter ad feſtos dies,
Et ſacra ſancta conuenit,
Vt legibus mandat ſuis
Rector ſupremus cœlitum.
Tu iura claris vrbibus,
Legeſq; das, tu maximos
Reges alis, te Dauidis
Proles frequentat inclyta
Stipata ſemper nobili
Turba ducum. Precamini
Ciues boni bona omnia
Huic ciuitati: ſit bene,
Feliciterq; amantibus
Te mater alma, nec tuis
Vnquam recedat finibus
Pax, & beata fauſtitas.
Salus meorum ciuium
Tua ſalute nititur:
Templum Dei ſanctiſsimum

Te reddit omnibus pijs
Amabilem: igitur vſq; dum
Ego vixero, ſemper tibi
Bona precabor omnia.

ARGVM. PSAL. CXXIII.

Preſsi boni à malis viri impijs in hac
Vita fidem Dei cient.

PSAL. CXXIII. FLAMINII.

AD te, beatas qui beatus incolis
Oras nitentis ætheris,
Attolle lumina lacrimis manantia
Vitæ meæ ſpes vnica.
Iniurioſa verberatus vt manu
Manus heriles aſpicit
Flens ſeruus, implorans opem domini ſui,
Vt ſerua ſerui dextera
Pulſata dominæ dexteram aſpicit ſuæ,
Sic te pater ſanctiſsime,
Nos intuemur maxima fiducia,
Donec quærelis triſtibus
Aures benignas applicans adſis tuo
Nobis ſecundo numine.
Iam quæſo, iam tuère ſupplices tuos
Vultu ſereno, iſta quoniam
Abominata gens ſua ſuperbia
Nos enecat miſerrimè,
Miſerrimè nos enecat gens impia
Irriſione, & iurgijs.

ARGVM. PSAL. CXXIIII.

Gens ſancta liberata præſenti malo
Grates agit ſummo Deo.

PSAL. CXXIIII. FLAMINII.

NIſi nos benigni numinis
Tutela ſeruaſſet, piæ
Nunc dicant vrbis incolæ,
Niſi nos benigni numinis
Tutela ſeruaſſet, feri
Inuaderent cùm barbari,
Inſtar leonum hiantibus
Nos deuoraſſent faucibus:
Cùm gens veniret impia
Furens minaſq́; & ſanguinem
Spirans malorum altiſſimo
Nos obruiſſet gurgite:
Torrens malorum maximus
Agros, & vrbem, & omnia
Iam perdidiſſet funditus.
Supreme cœlitum pater,
Te ſempiternis laudibus
Seruata tollet ciuitas,
Quam noluiſti immanibus
Patêre prædam belluis.
Vt implicata vinculo
Pudica turtur aucupis
Crudelis effugit manum,
Si fortè laqueus frangitur,
Sic impiorum è dextera
Spem præter ipſi euaſimus:

In po-

In poſterum anxius timor
Noſtris faceſſat finibus,
Quando omnium rerum potens,
Terræ, poliq́ conditor
Suo benigno numine
Noſtræ ſaluti conſulit.

ARGVM. PSAL. CXXV.

Securitatem horum canit vates, ſuas
Qui collocant ſpes in Deo.

PSAL. CXXV. FLAMINII.

QVicunque verè ſpes ſuas locat in Deo,
Immobilis ſemper manet
Sionis inſtar, nulla quem ſuo poteſt
Mutare vis vnquam loco.
Vt ſancta vallo montium circundata
Eſt vndequaque ciuitas,
Sic ipſe rector cœlitum dextro pios
Vallabit vſq́ numine,
Illoſq́ nullis improborum viribus
Premi diutius ſinet:
Ne fortè virtus fracta rebus aſperis
Deo recedat à ſuo.
Fac affluenter manet ad bonos tua
Quæſo benignitas pater:
At qui ſecutus impiorum peſſima
Conſilia deſerit viam
Legum tuarum perditus, illum precor
Vltrice puni dextera.
Vtinam quies, & alma pax noſtros agros,

Noſtras & vrbes incolat.

ARGVM. PSAL. CXXVI.

A barbarorum ſede reuenientium
Lætitiam Hebræorum canit.

PSAL. CXXVI. FLAMINII.

CVm liberati barbaræ gentis iugo
Dulcem rediremus domum,
Se ſomniare quiſq́, non vero frui
Exiſtimabat gaudio.
O quæ voluptas, quanta nobis commoda
Tuo fauente numine
Tum contigere cœlitum rex maxime.
Tum barbarus mirans ait,
En quanta pro ſalute gentis iſtius
Pater Deorum, *conficit.*
Et magna certè fecit, haud iniuria
Tanto exilimus gaudio.
Vt auſter vdus imbrium vim maximam
Fundens, iugiſque collium
Niuem albicantem liquans ſuas ſuper
Ripas alit torrentia
Flumina, vagantur illa, lateq́ omnia
Tenent: ita pater optime
Fac, vt tuorum multitudo ciuium
Plenis vijs ad patriæ
Dulces fluat agros, omniaq́ paßim occupet,
Lætoque plauſu repleat.
Vt glareoſo triſtis aruo ſemina
Mandans colonus, vberem

Si fortè meſſem percipit, gaudet magis,
Quàm cultor agri fertilis:
Sic nos per annos ſepties denos grauem
Et ſeruitutem, & cætera
Paßi mala omnia, cùm lares amabiles
Reuiſeremus patriæ,
Cunctis vicißim gaudijs inceßimus
Tuæq; rex ſanctißime
Benignitate gratias ſemper agimus
Semperq; habemus maximas.

ARGVM. PSAL. CXXVII.

Et ciuitatis, & domus cuſtodiam
Sitam in Deo ſummo docet victum omnibus
Qui præparat, cultumq; dat mortalibus.

PSAL. CXXVII. FLAMINII.

NIſi coniugem Deus bonam, & agrum fertilem
Dulceſq; donet liberos,
Fruſtra laborat, ſiquis hæc ſtudio ſuo
Seſe paraturum putet.
Niſi ciuitatem, & ciuium concordiam
Defendat optimus pater,
Et ciuitatem, & ciuium concordiam
Fruſtra tuentur principes.
Fruſtra ad labores ante lucem ſurgitis,
Fruſtra laboratis diem
Totum, labores niſi Deus veſtros ſuo
Fortunet ipſe numine.
Ipſe & parabilem facit victum, & pijs
Præbet quietem ciuibus;

Ipſe

Ipſe & frequentat liberis domum, & ipſius
Vxor pudica munere
Contingit, ac decora, & optimis ſimul
Ornata prolés moribus,
Taliſq; robore, qualis à fortiſsimo
Sagitta torta milite.
Beatus ille, qui pharetram talibus
Implet ſagittis: non ei
Erit timendum ſi quod vnquam euenerit
Certamen: illum iudices,
Et cuncta ciuitas ſuis cum filijs
Bonum, & beatum prædicant.

ARGVM. PSAL. CXXVIII.

Cantatur à vate hic amantium Deum
Fortuna florentiſsima.

PSAL. CXXVIII. FLAMINII.

BEatus ille, qui piam ſeſe Deo
In ſeruitútem dedicat,
Semper paratus exequi, ſanctiſsimis
Quod ille verbis imperat.
Non is paterna rura inaniter colit,
Sed quæ feraci ſemina
Sinu recepit fundus, illa maximo
Reddit colenti fænore.
Vxor pudica bene regit domum, & optimis
Exornat ipſam liberis,
Fœcunda vitis inſtar apta, diligens
Quam curat arte vinitor.
Proles nouella creſcit, vt virentibus

Oliua

Oliua pulchra ramulis:
Et menſa turba garrula circundata
Cumulat parentes gaudio.
Hæc eſt piorum vita, coſq́; talibus
Remuneratur præmijs
Summi benignitas patris: quem ſi coles
Vrbis ſacratæ commodis
Lætus frueris, vſque dum viuas tuæ
Prolis beatæ liberos
Florere cernes, patrijs felicitas
Regnabit alma finibus.

ARGVM. PSAL. CXXIX.

Grates agit ſummo patri, quod barbaris
Preſſam vſq; conſeruauerit gentem ſuam.

PSAL. CXXIX FLAMINII.

ME barbarorum ſæpè vexauit furor,
Nunc ſancta dicat ciuitas:
Me barbarorum ſæpe vexauit furor
Ab vltima vſq; origine:
Sed nulla vis, nec vllus hoſtium dolus
Me quiuit vnquam extinguere.
Arauit heu mea terga longis verberum
Sulcis nefandus barbarus,
Laboribus me, vinculiſq́; aſperrimis,
Duraq́; vexauit fame:
Sed vincla rupit ferrea, & tandem mihi
Dulcem quietem præbuit,
Vberrimoq́; me locauit in ſolo,
Cæleſtium ſummus pater.

Qui

Qui ciuitatem numinis ſanctiſsimi
Vult perditam, pereat malè.
Vt herba tectis orta ſummis ædium
Humore vitali caret,
Nec quit profundiore radices humo
Agere: itaq; antè exaruit
Percuſſa Sole feruido, quàm dextera
Vellatur alicuius, neque
Manum repleuit ea metens, ſuum neq;
Sinum, manipulos colligens,
Nec qui viator præterit, verbis ei
Bene precatur óptimis,
Talis ſit impius hoſtis, & quiſquis pios
Odit, Deus quos diligit.

ARGVM. PSAL. CXXX.

Mortalis aurea eſt viri precatio,
Peccata quem grauiſsimè crucient ſua,
Seſeq; ſolantis patris fiducia
Summi benignitatis, & clementiæ,

PSAL. CXXX. FLAMINII.

MAlis profundis obrutus
Tuam pater fidem inuoco:
Ne quæſo ſupplicis tui
Audire vocem reſpue.
Si vindicaris omnia
Peccata, cunctaq; exigas,
Quæ iure debentur tibi,
Quis ſuſtinebit ô pater?
Quis tam piè, tam puriter
Vitam colit, quin ſit tibi

Pœnas daturus maximas?
Incomparabilis tua
Certè benignitas facit,
Vt numen à mortalibus
Tuum colatur: hac ego
Confiſus, auxilium tuum
Expecto certum: animus meus
Et lenitate tua, & tua
Promiſsione nititur.
Non ſic morantem languidus
Expectat Auroram vigil,
Qui nocte tota ſedulus
Ambiuit vrbis mœnia,
Votis vt omnibus expeto
Ego te morantem ô refugium
Meæ ſalutis vnicum.
Iudæa gens Deo tuo
Confide, nam Deus tuus
Benignus, & placabilis,
Et promptus eſt ignoſcere.
Tua ipſe peccata omnia
Delebit, & maculas ſua
Abſterget omnes dextera.

ARGVM. PSAL. CXXXI.

Vates ſuo exemplo docet ſuperbiam
Cauendam, & in ſummo Deo tantummodo
Spes eſſe figendas viris mortalibus.

PSAL. CXXXI. FLAMINII.

SVpreme rector cœlitum
Non ipſe regium ob decus

Infla-

Inflatus efferor, neq;
Perambulans ſublimia
Mentis ſuperbæ ſomnijs,
Maiora Viribus meis
Tribuo, tribuere quàm decet
Hominem caducum, inanis &
Imaginis ſimillimum.
Si non modeſtiam colo,
Si ſumo magnos ſpiritus
Turpiſsimæ arrogantiæ,
Pœnas grauiſsimas luam.
Qualis puſillus eſt puer,
Quem lacte dulci blandula
Vix alere deſijt parens,
Talis animus, & mens mea eſt.
Vt ille tutus optima
Matre acquieſcit in ſua,
Sic ipſe toto pectore
Ex charitate pendeo
Cœleſtis ipſius patris.
O te beatum, quiſquis es,
Qui ſpem tuam in Deo locas.

ARGVM. PSAL. CXXXII.

Hic in parando numinis templi loco
Studium ſuum narrat: Deusq; inducitur
Loquens, duciq; Dauidi ſanctiſsimo,
Proliq; promittens thronum iugem piæ
Chriſto Deo, omnium duci mortalium.

PSAL. CXXXII. FLAMINII.

Sin

SIs memor vſque pij rex maxime Dauidis, & quã
Ciues in omnes mitis extiterit ſuos,
Ille tui ſancto incenſus iurauit amore,
Votumq́ lingua nuncupauit hoc modo,
Ne tibi ſim carus vita mihi carior ipſa,
Neu verba poſthac ſupplicantis audias,
Antè meæ ſi cara domus ad limina adibo,
Oculoſúe ſomnus antè clauſerit meos,
Quàm præclara tuo fuerit pater optime templo,
Tuiſq́ dedicata ſacris area.
Sic ait, & paruo pòſt tempore dedicat illam.
Quà ſe beatis ſylua campis porrigit,
Cùm tu clara prius Bethleemi ſigna dediſſes.
Tuam introibimus pater domum, tua
Perpetuò caſtis venerantes numina ſacris.
Tu manſionem dexter ad certam veni,
Myſticaq́ area vagans ſtabili iam ſede quieſcat:
Fac, vt ſacerdos mente pura te colat,
Et ſua cuiq́ pio da gaudia: neúe tueri
Omitte prolem Dauidis tui inclitam,
Quam patris aurato in ſolio tu ſancte locaſti.
Iurauit ille, peierare qui nequit,
Omnipotens dulci affatus ſic Dauidem amore,
Tua ſedebunt ſede liberi tui,
Qui ſi conſtantes in religione manebunt,
Quam moſis ore ſanximus, neq́ inclyta
Fœderis antiqui violarint iura nepotum
Serie propago nobilis longiſſima
Dulci pace fruens ſolio regnabit auito.

Sionis arcem præfero cunctis locis:
Hîc ego longa libenti animo per ſecula degam:
Hîc ſupplicantium preces ego ciuium
Audiam, & optanti mea ſancta oracula pandam:
Florebit agris fructuum lætiſſima
Omnigenum vbertas, atque hinc procul omne fugata
Per æuum egeſtas exulabit horrida.
Caſta ſacerdotes ornabit vita, colentꝗ;
Domos piorum pura ſemper gaudia.
Ac veluti lauro pulchræ denſiſſima ſylua
Radice ab ima pullulat, ſic Dauidi
Candida ſuccreſcet proles, quæ ſplendida facta
Parentis augeat optimi, neque hoſtium
Vlla domum poterit vis hanc euertere, non ſi
Coniuret omnis impiarum gentium
Barbaries latas per terras dedita, cunctis
Optat us ille pijs fluet ab origine
Iſta, qui populos omnes, & maxima ponti
Æquora, globoſꝗ; ſiderum micantium
Et diuos ſupra cœli conuexa morantes
Mecum gubernet ſempiterna ad ſecula.

ARGVM. PSAL. CXXXIII.

Concordiam commendat, & pacem lyra
Hoc Dauidis poëmate.

PSAL. CXXXIII. FLAMINII.

O Quàm beatum eſt pacis inſolubili
Fratres ligari vinculo:
O qualia bona, & quanta ſecum gaudia
Apportat alma charitas.

Qua-

Quales odores ſpirat vnguenti liquor
Stillans Aharonis ſacro
E vertice aureas ad oras veſtium,
Tales odores candida
Pax atq; amoris mutui concordia
Afflant piorum mentibus.
Vt ros Sionis decidens iugum, & auia
Hermonis alti paſcua
Fœcundat, ita quas incolit domos pia
Pax, ditat omnibus bonis
Nam degit vbi pax, & beata charitas,
Ibi cœlitum degit pater.

ARGVM. PSAL. CXXXIIII.

In templo agentes vigilias hortatur hic
Viros, Deum vt ſimul canant.

PSAL. CXXXIIII. FLAMINII.

DVm nox fauet, ſuoq; nos ſilentio
Inuitat, agite laudibus
Deum efferamus ædis ô ſanctiſſimæ
Caſti, beatiq; incolæ.
Tollamus agite ſupplices ſimul manus,
Adytiſq; in intimis Deum
Aures amicas applicantem plurima
Prece inuocemus, vt ſua
Ope ſoſpitet ciues, bonaq; det omnia
Larga benignus dextera.

ARGVM. PSAL. CXXXV.

Benignitatem prædicat miram in ſuos
Ciues Dei atq; vim ipſius.

PSAL. CXXXV. SPINVLAE.

DEum colentes, efferatis laudibus
Eum polo: qui numini
Et dona, & hoſtias ſacris altaribus
Hoc fanum habentes iugiter
Offertis, alta voce cantate ipſius
Benignitatem maximam:
Sublimè nomen ferte patris ad æthera,
Numen celebrate illius:
Sanctiſſimi quoniam Iacobi, poſteros
Peculium elegit ſibi.
Huic integri vitæ patri, quem nouimus
Numen Deorum maximum,
Grates habete: qui creauit omnia,
Quæ terra, cœlum, & æquora
Alunt, & abditis locis quæ plurima
Nobis iacent incognita:
Nubes ab vltimis ciet qui finibus
Telluris: imbre qui irrigat
Terras, & vnà admiſſa librat fulmina:
Qui carcere, antroq; euocat
Ventos furentes, maximo quò turbine
Et æquor, & perflent humum:
Qui ſuſtulit mortalium, & animantium
Primò editos Ægyptijs
Partus, decem quos terruit miraculis
Inuſitatis, vulnerans
Cum rege populum: nationes qui efferæ
Morti dedit fortiſſimas,

Re-

Regeſq; earum fortiori dextera,
Sehonem Amorrhæum ducem,
Ogumq; Baſanum, vniuerſos deniq;
Vos Chananæi principes:
Quorum vberes dono pater pius dedit
Terras, agroſq; fertiles
Genti, quæ ab Iſraële nata eſt optimo,
Vt prædium ditiſsimum.
Nunquam Deus *numen tuum ſanctiſsimum*
Non efferetur laudibus:
Quod vniuerſi poſteri, horum & liberi,
Et filiorum filij
Tollent polo: quòd liberas ſæuiſsimo
Ab hoſte cultores tuos,
Bonis patrocinare, numen vt potens
Cœleſtium, & mortalium.
At nationum, & gentium omnium Dei
Sunt ſigna muta, condita
Et ligno, & auro ab impijs mortalibus:
Ijs ora ſunt, nec eloqui
Valent: ocelli ſunt eis, queis non vident:
Aures, quibus non audiunt:
Nares habent inutiles, manus, pedes
Cum gutture, in quo ſpiritus
Non eſt: quibus, qui fingit artifex, & hi
Qui eos colunt, fiant pares.
Quò filij Iſraëlis ô ſpem figite
Veſtram potenti in numine:
Domus ô Aharonis, Leuiſq; ames Deum

Hunc verum, & auguſtiſſimum:
Patrem piè, & ſanctè colentes, credite
Huic numini vos, veſtraq;,
Qui ſolus eſt Deus Deorum *maximus.*
Patrem vniuerſi laudibus
Efferte habentem Hieroſolyma de maximis
Donis ſuis, quæ contulit
Vrbi ſacratæ pro ſua clementia
Montem ad Sionem conditæ.

ARGVM. PSAL. CXXXVI.

Sequentis argumentum & eſt cantus idem.

PSAL. CXXXVI. SPINVLAE.

H*Abete gratias* Deo, *quòd eſt bonus,*
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Habete gratias Deo *ſummo* Deûm,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Regi ſupremo diuûm habete gratias,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Satis, ſuperq; mira qui ſolus facit,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Prudenter aſtra qui creauit, & polos,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui extendit aridam ſuper fluctus humum,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia,
Qui finxit in cœlo iſta luminaria,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Solem igneum, terram irrigat qui lumine,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Lunam, atq; ſtellas, noctibus quæ luceant:

Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui extinxit Ægyptum, editum & primò genus,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui eduxit inde ab hoſtibus gentem ſuam,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Dextra ſua inuictiſsima, atq; brachio,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui ſtrauit Hebræo viam per æquora,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Quà copias traiecit illius ſtatim,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui Ægyptium obruit ducem cum milite,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Per ſola qui duxit ſuam gentem loca,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Ferroq; reges ſauciauit plurimos,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Et gentium occidit duces fortiſsimos,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Sehonem Amorrhæorum iniquum principem,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Ogum, regebat qui Baſanam diuitem,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Horumq; agros Phalangi Hebrææ tradidit,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Sit prædium vt genti ſuæ, & peculium
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Qui miſeriæ ingentis fuit noſtræ memor,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.

Qui nos redemit impijs ab hoſtibus,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia:
Qui præparat cibum omnibus animantibus,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.
Habete cæleſti parenti gratias,
Quòd ſempiterna eſt ipſius clementia.

ARGVM. PSAL. CXXXVII.

Iudæa gens abducta ad immaniſsimos
Babylonios narrat ſuum grauiſsimum
Luctumq́;,mœroremq́;:regni præcinens,
Sceptriq́; Caldæorum,& exitum hoſtium.

PSAL. CXXXVII. FLAMINII.

DVm nos ferarum gentium crudelitas
Deſideratæ patriæ dulci ſolo
Exterminatos detinet, iuuat procul
A ciuitatis barbara frequentia
Sedere ſolos ſola propter littora
Euphratis, hîc comantium noſtras lyras
Suſpendimus ramis ſalicum, & vberrimam
Vim lacrimarum fundimus, tui Sion
Dulcis recordantes, tuamq́; maxime
Rex cælitum orantes, opem ore ſupplici.
At interim adiens paſtor errantis gregis
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Veſtris: quid iſtæ pendulæ tacent lyræ?
Quî nos queamus obſecro, animum inducere,
Vt canticum ſanctiſsimum noſtri DEI
Cantemus iſtis exulantes in locis?
Si oblitus vnquam fuero ſancta ciuitas
Tui, mea quoq; oblita dextra pſallere,

Ama-

Amabiles nunquam lyra eliciat ſonos.
Adhæreat lingua mea faucibus meis,
Ne canere poſſim, niſi ego meminero tui,
Niſi cuncta acerba erunt mihi & amariſſimo
Amariora felle, donec mœnia,
Tuumq́, templum reſtituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium
Vltrice punis dextera, teterrimi
Idumeorum ſceleris vſque ſis memor,
Qui dum periret ciuitas tua, impios
Hoſtes furentes vocibus nefarijs
Sic incitabant, Pergite agedum, & omnia
Vaſtate: ferro, & igne cuncta euertite.
Babylon ſuperba, & omnium miſerrima
Beatus is, qui talibus pro iniurijs
Te digna ſoluet præmia, atque idem tibi
Largè reponet, paruulos à pectore
Natos reuellens matrum, & illos aſpera
Ad ſaxa frangens, teq́, funditus eruens.

ARGVM. PSAL. CXXXVIII.

Grates agit ſummo Deo, atque maximam
In Dauidem ipſius canit clementiam.

PSAL. CXXXVIII. SPINVLAE.

PAter beate, pectore
Toto tibi grates agam,
Ipſiſq́, coram regibus
Cœlo efferam te laudibus.
Subibo templi limina
Supplex tui ſanctiſſima,

Numenq́ laudabo tuum,
Benignitatemq́, & fidem:
Plus, quàm receperas Deus
Supreme liberalitas
Nobis tuæ clementiæ
Donauit omni tempore.
Quanti ſit illud obſecro,
Mihi, vocantem quòd piè
Audire pergis roborans
Ad prælium dextram meam?
Orbis celebrabunt duces,
Cunctiq́ mortales tuum
Nomen ferent ſanctum ad polos,
Promiſſa cùm tua audient.
Immenſa maieſtas tua eſt
Sublimis, ima reſpicit
Tamen: videt mortalium
Elata, quæ mox deprimat.
Si verſer in periculis
Medijs pater, tua dextera
Me ſuſtinet, ſororillius
Extinguit hoſtes impios.
Me perficis, iuuas, foues
Deus ſupreme: ſed tua
Quæ eſt lenitas, me vnquam tuum
Opus perire ne ſinas.

ARGVM. PSAL. CXXXIX.

Scientiam Dei, atq; prouidentiam
Oratione rex canit mirabili,

Mortas

Mortalium cui dicta, factaq́ſ ſingula
Deo ſatis, ſuperq́; ſunt notiſsima.

PSAL. CXXXIX. SPINVLAE.

O Cuius alma lumina
Nihil poteſt mortalium
Latêre, qui mentem meam
Et cordis intima aſpicis,
Noſti, meus qui ſit locus
Quietis ac laboris, &
Animum prius, quàm cogitem
Quicquam vides ſemper meum:
Sedes, vias, iter meum,
Cubile cernis: omnia
Tu ſemper aſpicis mea
Studia, qui habes me cognitum.
Ne voculam quidem mea
Vllam incipit lingua edere,
Et mens putare nil valet,
Quod non magè ipſe noueris,
Qui à fronte me, à tergo quoque
Incomparabilis faber
Incomparabili tua
Repente finxiſti manu:
Et ſpiritum arte tu mihi
Dium magis mirabili
Inflas potens, captu quàm ego
Poßim meo comprendere
Sed quæſo conſpectum tuum
Quis fugiat, & præſentiam?

Quo-

Quonam obſecro me conferam,
Vbi iſta non ſit mens tua?
An ſi volem altos ad polos,
Vultum tuum fugiam pater?
Ad inferos ſi corruam,
Tuo recedam à numine?
SI luteæ bigis volem
Auroræ, & ignei ipſius
Solis velocius rotis,
Non os tuum vitauero:
In vltimis ſi finibus
Terrarum, & oris abditis
Habere ponti peruelim,
Non os tuum vitauero:
Qui ſi mihi ſic dixero,
Ne cernar ipſo lumine
Dei, tenebræ me tegent,
Aut vmbra, quid me ſtultius?
Non vlla viſui tuo
Obeſſe cæca nox valet:
Lucent tenebræ ſic tibi,
Dies vt ipſa candida.
Miranda ſunt alia magis:
Tu quando corporis mei
Arcana cuncta poßidens,
Libidini imperas meæ:
Tu quando matris in vtero
Me ſic creaſti, vt mens mea
Grates habens tibi, opus ſatis,

Superq́, miretur tuum,
Quem non latebant corporis
Artus mei, cùm paruulus
In ventre matris abditus
A te arte mira fingerer.
Me vidit informem tua
Acies, qui ad vnum ſcripſeras
Hæc membra cuncta albo in tuo,
Quæ per dies formata ſunt.
VAH quanti apud me ſunt tuæ
Summe rationes ô Deus,
Quibus creas, iuuas, regis
Terras, & humanum genus:
Queis ipſe numerandis vigil,
Attentus, atque diligens
Has noui arenam littoris
Ponti, vel aſtra vincere:
Vt tecum adhuc mirum in modum
In his pater Deûm *hæream:*
Quas impij quòd negligunt,
Vltrice puni hos dextera.
(Abite ſanguinarij)
De te hi Deus *nefariè*
Loquuntur omni tempore,
Et ſeruiunt cupidini.
Tuos amicos diligo,
Odi malè aduerſarios:
Summi tui, ſummi & mei:
Hoſtes tibi, hoſtes & mihi:

Hos

Hos proſequens acerrimo,
Odio repellam ex ædibus
Meis ad vnum, illiq; erunt
Semper mihi neceſſarij.
Rex magne, me exploraueris
Mei periclum feceris,
Scrutare cordis, & animi
Sedes, & hæc penetralia,
Et ſi quid in me huiuſmodi,
Quod moliuntur impij
Inueneris, me ſemitas
Rectas in æqui ducito.

ARGVM. PSAL. CXL.

In hoſtium inſidias poëta & vim Dei, &
Implorat auxilium ſibi.

PSAL. CXL. SPINVLAE.

AB impio me libera,
Omniq; inhumano pater;
Qui machinantur in bonos;
Ac moliuntur prælia.
Vt dente ſerpens horrido
Ferire mortales ſtudet,
Ita maledictis figere
Iſti integrum vitæ ſolent.
Ab his iniquis, & malis
Tuere me quæſo Deus,
Vim qui in meum intentant caput;
Excogitant qui iugiter
Seruum in tuum fallacias.

Deûm

Deûm parens fidem inuoco
Tuam, piè me exaudias.
In prælio tu me tege
Robur meum: ne me rogo
Dedas malis, vt anxiè
Cupiunt: eorum ſpem obſecro
Fruſtrare, ne ſuperbiant,
Et glorientur, efferi
Si quod volunt, confecerint.
Per te ſuum mendacium,
Et omne conſilium rogo
Horum redundet in caput.
Candentibus quæſo obrue
Omnes eos carbonibus:
Iactes in ignem illos eum
Rex cœlitum, vnde non queant
Vnquam ſuperbi emergere.
Qui maledicus, qui proditor
Eſt, odit hunc ſator DEûm:
Qui iudicans æquiſſimè,
Vt rector æternus, iubet,
(Quo quid poteſt eſſe æquius?)
Vt, quæ eſt bono intentata, vis
Euertat autorem ſuum,
Et quæ in necem hunc vitæ integri
Iniquitas exercuit,
Vertatur exitium in ſuum.
Iuſtus pater cœleſtium
Excindit omnes impios,

Et

Et vindicat bonum à malis.
Quare celebrabunt Deus
In ſempiterna ſecula,
Canentque coram te pij,
Et præditi innocentia
Numen tuum, immortalibus
Vbi fruentur commodis.

ARGVM. PSAL. CXLI.

Eam ſibi mentem dari à Deo petit,
Qua res potentium, atq; gratiam omnium
Contemnat, ac neceſsitudinem virum
Amet bonorum: inuehitur hinc hoſtem in ſuum.

PSAL. CXLI. SPINVLAE.

PAter ſupreme te inuoco, ne differas
Audire me, precem meam.
Attende, qua fatigo numinis tui
Benignitatem maximam,
Accepta ſit tibi hæc precatio mea,
Vt thus, vel vt ſacrum ſolet.
Fac veritatem diligam omni tempore, &
Abhorream à mendacio.
Sic ne meam mentem ſinas labi Deus,
Vt impios exaudiens,
Oblita veri perſeueret improbos
Mores eorum conſequi:
Id opto ſic, vt à bonis me, ſi libet,
Pulſari, & argui velim:
Quod non moleſtum eſt, ſed adeò gratum mihi
Vt nihil ſit gratius.
Pulſent me, & arguant boni potius viri,

Oratione quàm impij
Blanda efferant, vel quàm caput demulceant:
Quod diſsipat mentem bonam,
Atq; rationem, & à via vitæ pios
Artes reducit ad malas.
Quapropter iſtis haud precari deſinam
Patrem vt malis me liberet,
Boniſq; conſulat mihi cauentibus
Et perdat omnes impios.
Ergo duces iſto impiorum verbere
Pulſato rector cœlitum,
Exemplo vt horum cæteri perterriti
Verbis meis obtemperent,
Oſtentui his quæ ſunt modò & ludibrio.
Faſtum aſpice illorum Deus:
Terram colonus vt ſolet confringere,
Totumque cædendo vberes
Glebas, agellum diſsipare prædij,
Sic oſſa confringunt mea,
Vireſq;, & omnium meorum iſti impij.
Redacti eò ſumus loci,
Mors vt fera iniectura ſit nobis manus.
Coniecti ocelli ſunt mei
In te pater, cui fido: noli deprecor
Vitam meam profundere.
Quæ vis mihi intentata ab hoſte eſt, in caput
Redundet obſecro ſuum:
Quæ iniquitas cædem in meam illum exercuit,
Vertatur exitium in ſuum:

Quam excogitauit fraudem, in hanc ille incidat,
Et ſaluus ipſe tranſeam.

ARGVM. PSAL. CXLII.

Saulem ducem fugiens ferum vates pius
Cùm ſe abdidiſſet in cauam ſpecum timens
Vicem ſuam quàm maximè, necnon ferè
Salute deſperata, ita orauit Deum.

PSAL. CXLII. SPINVLAE.

DEum fatigabo prece,
Et ſupplicabo numini
Ipſius almo protinus.
Precabor æternum patrem
Oratione flebili:
Implebo cœlum queſtibus
Cum lacrimis, hunc indicans
Summo duci angorem meum,
Et quæ tenent me anguſtiæ.
Pater ſupreme, tu meam
Noſti viam, atque ſemitam:
Quà tranſiturus ſum, impius
Laqueum mihi hoſtis abdidit
Vt, qualis auceps alitem,
Captum enecet ſeruum tuum.
Ad dexteram meam intuens
Adeſſe video neminem,
Cui ſim Deûm *rex, agnitus.*
Deſpero poſſe euadere,
Quando tueri quis velit
Vitam mihi, non vllus eſt.
Tu ſolus es pater mihi,

Tu

Tu ſolùs es, qui me adiuues.
Mea fatigo te prece,
Ad teq; confugio, tibi
Vni mea ſpes nititur,
Qui ſors mea, & peculium
In terra eris viuentium
Vitam bonorum iugiter.
Aures tuas meæ obſecro
Precationi accommoda,
Sum quando maiorem in modum
Exhauſtus, vt tu conſpicis.
Tu tandem ab infeſtiſſimis
Defende vitam oro meam
Parens Deûm *aduerſarijs*
His me potentioribus.
Animam meam hoc de carcere
Tetro hoſtis acer quem obſidet,
Educ, vt efferam tuum
Ad aſtra nomen laudibus:
Quò, me pij cùm viderint,
Cingant coronis, & tuam
Benignitatem maximam
Nouis celebrent canticis.

ARGVM. PSAL. CXLIII.

Sequentis argumentum & eſt cantus idem.

PSAL. CXLIII. SPINVLAE.

AVdi Deus precem meam,
Orationi ſupplici
Aures benignas admoue.

Pro veritate maxima,
Et æquitate tua feras
Opem mihi: vti ne velis
Seueritate iudicis,
Benignitate ſed patris
In filium: nam tu Deus,
Parens mihi es dulciſſimus.
Verum quis è mortalibus
Ita iuſtus eſt, ita innocens,
Qui non tua ſententia
Damnetur ad thronum tuum,
Agere Deus *numen meum,*
Si iudicis partes velis?
Ergo audias vocem meam:
Vides vt hoſtis impius
Vitam meam calcauerit
Humi, vtque pergat omnibus
Meipſum modis euertere,
Quouſq; me ponat nigra
In nocte, vt extinctis venit
Vſu omnibus mortalibus.
Mens & mea in quàm maximo
Verſatur heu luctu, premit
Mœroris hanc onus graue:
Et corda languent triſtia.
Menti tamen ea ſecula
Quibus tu abhinc quàm plurimos
Annos pijs antè patribus
Fauiſti, & occurrunt boni,

Quos eruiſti anguſtijs.

Paſſas manuſq; tendo meas
Ad te: anima mea ſic diſperit,
Vt arua, quæ vrat igneus
Æſtate Sol, & ſpiritus
Mihi gementi intercidit.
In me pluat iam ros tuus
Tuo imbre iam me recrea.

Preces meas ne deſpice:
Mihi parens Deûm ocyus
Ni fers opem, actum eſt: exhibe
Vultum tuum mihi prius,
Quàm penitus obeam pro tua
Benignitate maxima:
Qua fretus ad te in hac graui
Acerbitate, & maximo
Angore confugio miſer.
Opem tuam velociter
Fac ſentiam: indica vias
Quæſo mihi, quà tutò eam:
Vt hoſtis euadam manus.

Committo me Deus tuæ
Clementiæ, & vitam meam:
A ſontibus me libera.
Doce probantur quæ tibi
Me facere: tu numen meum.

Me recreet aura cœlitum,
Monſtret poli mi ſpiritus
Quà peruenitur ad tuam

Sedem, & domos cæleſtium.
Tandem Deus, *me (quæ eſt tua*
Benignitas) quæſo adiuua,
Mihi vt recepiſti: meam
Educito ex anguſtijs
Mentem fauens tandem mihi.
Omnes tua vi perdito
(Quando tuus ſum) perfidos,
Qui me fatigant, impios.

ARGVM. PSAL. CXLIIII.

Cuius benignitate vincit hoſtium
Vires, agit grates Deo, ac opem ipſius
In nationem perditam implorat ſibi.

PSAL. CXLIIII. FLAMINII.

Æterne mundi domine, quas grates tuæ
Clementiæ poſſim agere? vel tuum quibus
Efferre nomen laudibus ſanctiſſimum?
Tu præliari dexteram meam doces,
Et omnium diſcriminum fidiſſimus
Comes per hoſtes obuios, & horrida
Per arma tutum ruere, & incolumem facis:
Tu ciuitates ſubijcis meas mihi,
Latiſq; donas imperare gentibus.
Domine, quid eſt homo, quòd honore maximo
Dignaris illum, & tam benignè amplecteris?
Homo eſt imago vana, & vmbræ ſomnium
Inanis, ipſa inanitate inanior.
Deſcende cœlo, & irruentes hoſtium
Acies coërce fulminante dextera:

Illes

Illos procellis, igne, grandine diſsipa:
Illos ſagittis perime, noſq; iam obrutos
His nationum barbararum fluctibus
Tuere. ſumme rex tuas laudes ego
Cantabo ſemper, tibi cithara ſemper mea
Hymnos ſonabit: tu ſalutem regibus
Donare gaudes, Dauidem tu maximis
Periculorum liberaſti caſibus:
Tu nunc furores impiarum gentium
Compeſce, quas nefanda ſemper dicere
Iuuat, nefanda ſemper agere: fac, pius
Miles triumphum nobilem referat domum:
Fac, alma pax, quieſq; noſtris finibus
Regnent tumultu barbarorum liberæ.
Proles nouella creſcat agris omnibus,
Vt valle myrtus auia nitentibus
Se ramulis ſubijcit, amica limpidi
Rigata fontis lymphula: ſint virgines
Noſtræ decoro corpore ſpectabiles,
Sint plena ſemper horrea bonis frugibus,
Plenis redundet cella ſemper dolijs,
Redundet oleo, melle, pomis dulcibus,
Sint prata gregibus tecta fœcundiſsimis,
Fortes iuuenci plauſtra onuſta ducere,
Fortes feracem glebam aratro findere:
Neu ſæuus hoſtis hoſtra rumpat mœnia,
Neu patriæ iucundæ amabiles agros
Abducta gens relinquat, aut ciuilibus
Sonent plateæ iurgijs. Ter, & amplius

Beata gens, quæ talibus fruitur bonis:
Beata gens, quam maximus cœleſtium
Pater ſuo præſens tuetur numine.

ARGVM. PSAL. CXLV.

Oratione prędicat mirabili
Dei poteſtatem, atq; prouidentiam
In beſtias omnes, vtrum & mortalium
Cœtus, bonosq; maximè & vitæ integros.

PSAL. CXLV. SPINVLAE.

TE laudibus feram DEUS *ſanctiſsime*
Lex cœlitum, & mortalium
Semper quouſq; vixero:
Longoſq; ſoles te canendo vſque eximam,
Dum ſpiritum ducam: tui
Vincit modum laus numinis.
Ipſe es potens, eaq; magnitudine,
Quam nemo comprehendere
Noſtrum ſuo captu valet.
Ingens opus, laudeſq; ſeclum ſeculo
Et per manus tradit tuas,
Tuam & poteſtatem canit.
Æternum honorem, & amplitudinem tibi
Et facta mira geſtiens
Semper celebrabo tua:
Tuamq; prædicabo magnitudinem,
Et robur, & quàm maxima
In gentibus miracula:
Vt poſteri audiant, & hanc ſummam tui
Benignitatem numinis,
Et æquitatem concinant.

PIVSQVE, & exorabilis nobis Deus
 Iraſcitur parum nimis
 Propenſus ad clementiam.
Clemens in omnes es pater cœleſtium,
 In omne opus tuum vteris
 Benignitate maxima.
Ergo celebrent te Deus tua omnia
 Opera: pij verò tui
 Grates tibi ingentes agant.
Et iugiter narrent tui iſtam gloriam
 Regni, & potentiam tuam
 Omni loquantur tempore:
Vt omnibus mortalibus vim nuntient
 Tuam hanc, & amplitudinem
 Sceptri tui, atq; gloriam.
Durant ad omnes poſteros rector Deûm
 Supreme, faſces imperi
 Incomparabilis tui:
Tanta benignitate quos geris, manu
 Cadentem vt iſta fulcias,
 Omneſq; lapſos erigas.
IN te omnium intendunt pie ô rex lumina
 Defeſſa, eis vt pabulum
 Suo ſuum des tempore:
Tu dexteram extendis tuam pleniſsimam
 Donis tuis, hiantia
 Et cuncta alis animalia.
In omnibus prorſum, quæ agit Deus æquus eſt,
 Clemens, piuſq; in omnia eſt

Quæ finxit in terra, & polo.
Mortalibus, qui ſupplices poſcunt opem
Eius, modò ex animo hunc vocent,
Eſt vſq; præſentiſſimus.
Colentibus numen fauet cunctis: ſuas
Et applicat vocantibus
Aures, opemq́ue fert eis,
Id quod volunt boni, ipſe perficit Deus,
Semper fauet cuiq; optimo,
Et perdit omnes impios.
Quare ipſius laudum canam præconia,
Et vſq; cuncti ad ſidera
Sanctum Dei *nomen ferent.*

ARGVM. PSAL. CXLVI.

Clementiam, rectum'q; numinis canit,
Et admonet non in viris mortalibus
Spes eſſe nobis, ſed locandas in Deo.

PSAL. CXLVI. SPINVLAE.

DEum canas mens ô mea:
Deum, quouſq; vixeris,
Mirare, adora, dilige,
Omni celebra tempore.
Ne fretus aura principum
Mortalium, hos exiſtima
Valere ſoſpitare te,
Cauere qui nequeunt ſibi:
Cùm ſpiritus reliquerit
Artus eorum, actum eſt: ſimul
Pereunt opes, & omnia

Con-

Conſilia decidunt ſua.
Beatus ille, cui potens
Deus Iacobi eſt robori,
Qui ſpem ſuam in eo collocat,
Neſcit fidem qui ſoluere,
Terram, polos, & æquora
Qui fecit, oppreſſos iuuat,
Cibum dat eſurientibus,
Vinctiſq; ſoluit compedem,
Virumq; cæcum illuminat,
Manuq; collapſum erigit,
Iuſtos amat, defendere
Cauſam peregrini aſſolet,
Flentiq; pupillo cauet,
Caſtamq; viduam ſubleuat,
Qui deniq; impij malum
Omne inſtitutum diruit.
Vrbs ad Sionem condita
Lætare: in omne ſeculum
Manet thronus DEI, *tuus*
Rex imperat ſine exitu.

ARGVM. PSAL. CXLVII.

Hortatur ad laudes Dei gentem ſuam.
Huic pollicens fore vt reducta barbara
A ſeruitute, in patria tandem ſua
Quieſcat: & benignitatem numinis,
Clementiamq; ſingularem prædicat
In pij Iacobi filios, quos diligit.

PSAL. CXLVII. SPINVLAE.

CVncti celebretis DEUM: *nam conuenit*

Eſ-

Efferre numen laudibus:
Iucunda cœlitum eſt patri ſanctiſſimo
Laudantis elegantia:
Hieroſolymam tandem extruit DEûm *parens*
Benignitate pro ſua,
Natos ab Iſraële vti cogat feris
Huc exules à gentibus.
Tanta eſt Dei *noſtri* Deorum *maximi*
Clementia, atq; lenitas,
Fractos vt animo curet, ac doloribus
Medeatur Hebræi omnibus:
Non iſta dedignatur, etſi lucida
Cœli aſtra ſolus computet:
Etſi vniuerſa nominatim ſidera
Æternus appellet ſua.
Quàm magna noſtri numinis potentia eſt,
Et quanta vis eſt illius:
Eius quis immenſam poteſt comprendere
Prudentiam & ſapientiam?
Is ſummus, atq; præpotens rerum omnium
Is, quo nihil maius, tamen
Dignatur afflictis piè ſuccurrere,
Hoſteſq; eorum plectere.
Quare ipſi habete gratiam: voce, & chely
Cantate numen ipſius,
Suis tegit qui nubibus cœlum, & parat
Terris aquas ſitientibus,
Quique induit montes, humumq; gramine,
Iumenta quò, & noſtri greges
Paſ-

Paſcantur, & feræ: vniuerſos qui cibat
Pullos gementes alitum:
Cui non equus placet, nec ocreæ viri
Seſe efferentis improbi:
Placent Deo, qui eius colunt numen, qui habent
Fidem ipſius clementiæ.
¶LAVDA *patrem Hieroſolyma, vrbs lauda* Deum
Tuum ad Sionem condita:
Qui firma portarum tuarum reddidit
Clauſtra, ac tuos ciues tibi
Seruans, tuis à finibus dextra ſua
Repellit hoſtes barbaros:
Non exulat per hunc tuis à ciuibus
Pax alma, nec concordia:
Vberrimam qui ſufficit meſſem tibi,
Cui ſeruiunt vni omnia,
Ipſo iubente in fertiles cadit tibi
Agros pluuia gratiſſima:
Miſſu ipſius lanis ſimillimæ niues
Telluris obtegunt ſolum.
Quales per effœtos coloni ſpargere
Cinerem ipſi agellos aſſolent,
Talis pruinam ſeminat, talis pater
Iacit per oras grandinem:
Atq; glaciem ſic frigidam durat, feræ
Vt horreant tactu ipſius,
Quæ numinis iuſſu tepens ventus facit,
Solutæ vt in aquam defluant:
Curare qui dignatur Iacobi genus,

Atque ſobolem Iſraëlis hanc
De lege continenter, & dicto edocet,
Et de ſua ſententia:
Quod nationibus feris, ac neſcijs
Cultus Dei non præſtitit.

ARGVM. PSAL. CXLVIII.

Inuitat omnia ad celebrandum patrem,
Terras, pólos & æquora.

PSAL. CXLVIII. SPINVLAE.

CAntate numen cœlites, & laudibus
Deum celebrate ô poli.
Deum alites ipſius, omnis & canat
Exercitus cœleſtium,
Deum canas Sol, & ſoror pulcherrima,
Lux alma, celi ſidera.
Cantate numen maximi orbes, cærulis
Cum aquis polos tegentibus:
Sublimè ad aſtra ferte nomen ipſius,
Qui cuncta mutu condidit,
Vt ſemper eſſent: legis & non mobiles
Præfixit illis terminos.
Canant verendum terra, pontus, æthera,
Et quicquid iſtic eſt, Deum.
Tuq; ignis, & grando, niues, & tu vapor
Efferte numen laudibus.
Deum obſecundans eius imperio cane
Auſter procellas exciens.
Cantate eum montes, iuga, & colles, cedri,
Vos & feraces arbores:

Et beſtiæ, & iumenta, humi & repentia
Cantate eum, & vos alites.
Cantate eum populi, duces, & principes
Orbiſq́ magni iudices.
Efferte eum pueri, piæq́ virgines,
Iuuenes, ſeneſque laudibus
Efferte: cuius nomen auguſtiſſimum
Poli cùm adorent ſupplices,
Et ipſa maieſtatem humus nimium pauens
Miretur eminus, tamen
Dignatur integrare virtutem & piæ
Genti ſuæ potentiam
Iacobeorum ad filiorum gloriam,
Qui numen ipſius, colunt.

ARGVM. PSAL. CXLIX.

Hortatur ad laudes Dei gentem ſuam
Huic pollicens fore, vt reducta barbara
A ſeruitute & patriam tandem ſuam
Teneat, & imperium augeat ſibi priſtinum.

PSAL. CXLIX. SPINVLAE.

CAntate laudes numinis magni nouo
Hymno, ſonetq́ canticis
Grex integrorum: cuncti & Hebræi pio
Factore lætentur ſuo.
De regis aduentu ſui exultet ſacra
Vrbs ad Sionem condita.
Nomen Dei & choro, atq́ tympano, & chely
Citharaq́ Hebræi concinant:
Quòd in ſuos, ſeruare quos ſtatuit, pios
Propenſus eſt mirum in modum.

Læten-

Lætentur optimi ſua de gloria
Viri pijſq; mentibus
Laudem canant Deo *ſuis è lectulis*
Summo canoris vocibus,
Hymnos ſonent ſummum celebrantes ducem:
In ore prædicatio
Patris Deûm *illis ſit quidem, ſed dextera*
Ancipite ferro armata ſit:
Pœnas vti ſumant feris de gentibus,
Cunctiſq; nationibus:
Vt ferreis reges earum vinculis,
Primarioſq; colligent:
Quò ſæuiat vindicta ſummo à principe
Præſcripta in omnes impios:
Pijs quod ornamento erit quàm maximo,
Boniſq; iugi gloriæ.

ARGVM. PSAL. CL.

Hortatur ad numen celebrandum patris
Summi Deorum omnes bonos.

PSAL. CL. SPINVLAE.

DE ſanctitate ſumma, & orbis iſtius
Creatione laudibus
Dei creantis efferatis ad polum
Vim maximam, & potentiam:
Et ipſius cantate magnitudinem
Immenſam, inenarrabilem.
Et nablio Deum, *chely, atque buccinæ*
Clangore cœlo attollite:
Addantur his chori, manuq; tympana

Im-

Impulſa, & organa, & fides.
Crotaliſq;, cymbaliſq; tinnientibus
Numen canatis maximum.
Quicquid per ipſum vbiq; ſpirat, laudibus
Patrem ferat cœleſtium.

FINIS DAVIDIS PSALMORVM.

IN FILII DEI PRECATIONEM SPINVLÆ PARAPHRASIS.

REX ô Deorum ſumme, qui in cœlo regis
Terras, & humanum genus,
Te omnes colant noſtrum patrem, & nomen tuum
Sublimè tollant ad polos:
Tu nos rege: imperata fiant hîc tua,
Vt cœli in ampla regia:
Panis, quo egemus continenter hîc, tuis
Contingat à te filijs:
Remitte nobis omnia, vt debentibus
Nobis, & ipſi debita
Remittimus, labiq; ne ſinas ita
Genus tuum, vt teterrimæ
Iniquitati ſeruiamus impiè,
Sed vindica nos à malo:
Quoniam tibi regnum omneq;, & potentia,
Debetur vni, & gloria,
FIAT.

IN SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ CANTICVM.

EIVSDEM PARAPHRASIS.

MAgnificat anima mea patrem cœleſtium,
Et maximè exultat meus
Summa Dei ſalutis ipſius meæ
Hic ſpiritus clementia,
Me qui ſuam reſpexit aurea à domo
Ancillam humillimam pater.
Hinc cuncta dicent me beatam ſecula
De maximo dono illius,
Eſt qui potens, cui nomen eſt ſanctiſſimum,
Cuius perennis lenitas,
Æternaq́, eſt omnino in illos charitas,
Qui numen ipſius colunt:
Deiecit olim qui manu fortiſſima
Alto ſuperbos à throno,
Ignobili extulitq́, natos huc loco,
Qui rerum egentes omnium
Ditauit, atque diuites nequiſſimos
Spoliauit omnibus bonis,
Euexit Iſraëlem ad alta qui æthera
Benignitate pro ſua,
Vt ante noſtris eſt locutus patribus
Ipſi Abrahamo, ac filijs.
¶ Tibi pater, fili atq; ſancte ſpiritus
Aeterna quæ ſemper fuit,
Et nunc, & vſq; ſit perennis gloria,
In ſempiterna ſecula.

FIAT.

AD LECTOREM

FLAMINIUS.

HÆc noſtra lector Chriſtiane carmina
Sic temperauimus fauente numine
Diuino, vt ipſa cùm legas, ſit idem ferè,
Ac ſi poëtæ Dauidis ſanctiſsimi
Hymnos legas: tametſi enim neq; reddita
Fuere verbis verba, neque nobis fuit
Religio multa addere, bonam & certam tamen
Spem habemus, additum nihil, quod ab ipſius
Abhorreat ſententia vatis, nihil,
Obſcura quod non monſtret inſtar luminis,
Aut pulchritudini poëmatis aliquid
Decoris addat, virgini pulcherrimæ
Quale decus addunt arte purpureæ roſæ,
Violæq; flauis crinibus circundatæ.
Quòd ſi labores hos meos proſpexero
Fuiſſe gratos, & legentium fauor
Scribentis adiuuerit, vt æquum, induſtriam.
Vltro recipio, & tibi meam aſtringo fidem,
Curam mihi hanc vnam fore antiquiſsimam,
Vt quæ reliqua ſunt Dauidis poëmata,
Oratione pura, & arte muſica
Ornata, poſsint mox Latinis auribus
Intelligi: hoc ego vt queam citò exequi,
Vtinam optimi faueat benignitas Dei:
Quod oro, votiſq; omnibus equidem expeto,
Non in meæ, ſed in ipſius ſpem gloriæ.

A. CALEMERVS PLANTINI-
DA AD FLAMINIVM.

F*Atum dolebam Flamini vates tuum,*
Noſtramq́; iacturam omnium grauiſſimam,
Quòd cœpta non exegeris, promiſſaq;:
Vt omnis audiret Latina ora integrum
Quiritium plectro canentem Dauidem,
Quod ipſe Flaccus nec valeret eloqui,
Si Chriſtianæ deditus muſæ foret.
Sed iam Deûm *benignitate deſino*
Dolere, qui humanum genus ſic temperant,
Vt quod nequiueris per obſcuras feræ
Mortis tibi iniectas manus abſoluere,
Id Spinulæ ſuo imperarunt flamini,
Ad hoc creato, vt perficiat opus tuum:
Vt quæ reliqua ſunt Dauidis *poëmata,*
Per Italas vrbes tua canat lyra:
Quæ Publius præſtaret vt feliciter,
(Vt inquit Aonius, hoc admirans opus)
Communicârunt ſpiritum Dij *cum hoc tuum.*
Qua de re ego ingenti triumpho gaudeo,
Triumphat omnis ciuitas Inſubrium,
Triumphat Europa: & tui Manes ſimul
Cum illis triumphent, & cinis: quandoquidem
Per Spinulam nouis nitentem floribus,
In gratiam ſui & ſacroſancti gregis,
In numinisq́; gloriam auguſtiſſimi,
Voti tui fecere te Dij *compotem.*

A D

AD A. CALEMERVM PLANTINIDAM P. FRANCISCVS SPINVLA.

SI Plantinida quos viros amiſimus
Lethi per efferas manus,
Qui dulce præſidium, & decus nobis erant,
Non pro his dediſſent Publio
Benigna fata cariorem te omnibus,
Nos pœniteret viuere.
Cur viueremus quæſo, nobis mortuo
Bono bonorum heu optimo?
Cuius ſepulchrum carmine inſcribis gemens
Poëta lacrimabili.
Cur duceremus ſpiritum, extincto his pio
Vitaliano ciuibus?
Mihi omnia ſua qui patère, & omnibus
Meis, ſolebat dicere.
Cur degeremus æuum in exilio hoc graui,
Lethi interemptis vulnere,
Archangelo, Rotiono, & ornatiſſimo
Virûm Caſato illo omnium?
Qui ſuaſerat ſenator, & perſuaſerat
Nobis, vt abſolutum opus,
Quod maximè probas, dicarem Principi
Noſtræ, & Duci lectiſſimæ.
Quapropter obſecro te amice, vt conſulas
Tibi, tuoq; Spinulæ:
Si fata quandiu potes vitaueris,
Tibi, & mihi conſulueris.

AONIVS PALEARIVS VERVLAnus ad P. Franciſcum Spinulam.

CArmina mirantur quî tot mi Spinula pangas
Oraq; ſemper ſint irrequieta tua,
Nam ſeu iam clauſo componat veſper olympo
Seu referat roſeo Lucifer ore diem
Cœleſtum pſallis Regi, nec deſinis vnquam
More chori magnum qui canit ante Deum:
Scilicet omnipotens mortales fuſa per artus
Mens agitat mentem Spinula docte tuam,
Scilicet & ſperas bene, nam quos ſpes alit iſta
Et veniente canunt, atq; abeunte die.

P. FRANCISCVS SPINVLA AD Aonium Palearium Verulanum.

NOn mea, ſed Tulli numeros, vnaq; Lucreti
In te mirentur ſecula cuncta modos,
Seu ſtudeas animos orando flectere, cantu
Seu vates ſummos æquiparare velis,
Non fera perpetuos tibi mors ſubducet honores,
Semper enim venies maior in ora virûm:
Nam qui viſiſti Europen, Aſiamq; biformis,
Penna leuis vacuum te per inane feret,
Quà Maro, quà Cæſar, Critæus, Tullius, & quà
Ceſſit ab humana Flaccus in aſtra via.

FLA-

BIBLIOTECA

FLAMINIVS CRIBELLVS AD M. Antonium Flaminium, ad P. Franciſcum Spinulam & ad A. Calemerum Plantinidam præceptorem ſuum.

NOn tam Marce meũ in te nomẽ, Spinula nõ tam
Iſte in Flaminios eſt mihi gratus amor,
Non tam par ſtudiũ his præceptor, quàm probo vates
Inſolitum vobis in tribus eloquium.

INDEX PSALMORVM IVXTA VETEREM TRANSLATIONEM.

¶A.

AD dominum cùm tribul. pſalmus 120
Oppugnat hoſtis impius caput meum
Ad te domine leuaui 25
Ad te meam mentem effero Deûm ſator
Ad te domine clamabo. 28
Ad te Deus confugio nûmen ô meum
Ad te leuaui oculos 123
Ad te beatas qui beatus incolis
Afferte domino 29
Qui nil ad ipſum eſtis Deum, ne principes
Attendite populus meus 78
Attende doctrinam meam gens ô pia
Audite hæc omnes gentes 49
O nationes ô viri.

¶B.

Beati immaculati 119
Beatus ille, qui ſtudet
Beati omnes, qui timet 128
Beatus ille, qui piam ſeſe Deo
Beati quorum 32
Beatus ille, qui pius
Beatus vir, qui non abiit 1
Beatus ille, qui nec audit impios
Beatus; qui intelligit 41
Beatus, afflictis canens ac conſulens
Beatus vir qui timet dominum 112
Beatus ille qui piam ſeſe Deo
Benedic anima mea domino, & omnia 103
Deum canas mens ô mea
Benedic anima mea domino. domine 104
Deum canas mens ô mea
Benedixiſti domine terram 85
Præſens fuiſti conditor mortalibus
Benedictus dominus deus meus 144

Aeters

Aeterne mundi domine, quas grates tuæ
Benedicam dominum in omni tempore 34
Non rebus aduerſis minus, quàm proſperis
Bonum eſt confiteri 92
Pater ſupreme conuenit numen tuum.
¶C.
Cantate domino canticum nouum, cantate 96
Terrarum in orbe magno agentes tam. nouo
Cantate domino canticum nouum, quia mirab. 98
Terrarum in orbe magno agentes tam. nouo
Cantate domino canticum nouum, laus eius 149
Cantate laudes numinis magni nouo
Cœli enerrant 19
Species polorum ornata ſtellis vndique
Confitebimur tibi 75
Tollemus vſque laudibus
Cōfitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo. 9. 10
Semper tibi grates &c. Heu quid ſibi vult rex Deum.
Confitebor tibi domine in toto corde meo, in cōſilio. 111
Pater beate pectore
Cōfitebor tibi domine in toto corde meo, quon. aud. 138
Pater beate pectore
Confitemini domino, & inuoc. 105
Habete gratias Deo, & inuocate eum
Confitemini domino, quoniam 106
Habete gratias boni Deo optimo
Confitemini domino, quoniam 107
Habete gratias Deûm regi pio
Confitemini domino, quoniam 118
Habete gratias Deûm regi pio
Confitemini domino, quoniam 136
Habete gratias Deo, quod eſt pius
Conſerua me domine 16
Ingrata & importuna gens vitam ſolet
Credidi, propter quod 116
Meum omnem amorem collocaui in cœlitum
Cùm inuocarem 4
Vocem meam inuocantis exaudi pater.
¶D.

De profundis clamaui 130
Malis profundis obrutus
Deus auribus noſtris 44
A patribus necnon auis accepimus
Deus Deorum dominus 50
Deus Deûm, iudexq; iudicum breui
Deus, Deus meus reſpice 22
Me quid reliquiſti Deus numen meum?
Deus, Deus meus ad te de 63
Te mi Deus vigilanter ô numen meum
Deus in adiutorium meum 70
Matura, & à malis Deus me libera
Deus in nomine tuo 54
Quando, vt vocaris, es bonus
Deus iudicium tuum 72
Pater ſupreme quaeſo ſpiritum pium
Deus laudem meam 109
Pater ſupreme bonorum maxime
Deus miſereatur noſtri 67
Nos ô pater Deûm miſertus reſpice
Deus noſter refugium 46
In rebus aduerſis pater
Deus, quis ſimilis 83
In impiorum crimine oro ne Deus
Deus repuliſti nos 60
Qui diſſipaſti nos, & aſpernatus es,
Deus ſtetit in ſynagoga 82
Deus Deûm inter principes
Deus venerunt gentes 79
Tuum in peculium Deus
Deus vltionum 94
Vltor Deus iam praepotens
Dilexi quoniam 116
Meum omnem amorem
Diligam te domine fortitudo mea 18
Toto (quod aiunt) pectore vſque diligam
Dixi, cuſtodiam 39
Sic numini placere conſtitui pio
Dixit dominus domino meo 110

Sic numen eſt meo locutum numini
Dixit iniuſtus, vt delin. 36
Perſuaſit improbi ſcelus
Dixit inſipiens in corde 14
Numen Dei quid eſſe commentitium
Dixit inſipiens in corde 53
Numen Dei quid eſſe commentitium
Domine clamaui ad te 141
Pater ſupreme te innoco, ne differas
Domine Deus meus in te 7
Ab hoſtibus me vindica crudelibus
Domine Deus ſalutis meæ 88
Deus Deus ſalus mea
Domine dominus noſter 8
Rex noſter ô ſumme omnium rerum Deus
Domine exaudi orationem meam & clam. 102
Audi Deus precem meam ſuſpiria
Domine exaudi orationem meam auribus 143
Audi Deus precem meam
Domine in virtute tua 21
Regi tremendo gaudium ingens tu pater
Domine ne in furore tuo 6
Ne quæſo domine me tuus furor opprimat
Domine ne in furore tuo 38
Ne quæſo domine me tuus furor opprimat
Domine non eſt exaltatum 131
Supreme rector cœlitum
Domine probaſti me 139
O cuius alma lumina
Domine quid multiplicaſti 3
Pater beate quid eſſe cauſæ exiſtimem
Domine quis habitabit 15
Pater ſupreme quis tuum templum incolet?
Domine refugium factus 90
Omni fuiſti ſeculo
Domini eſt terra 24
Conſtat Deum imperare terris omnibus
Dominus illuminatio 27
Lux eſt mihi, & ſalus pater cœleſtium

Dominus regit me 83
Rex cælitum eſt paſtor meus
Dominus regnauit, decorem induit 93
Terris Olympoque imperat
Dominus regnauit, exultet 97
Deus quod in cælo regit
Dominus regnauit, iraſcantur 99
Deus quod in cælo regit.

¶E.

Ecce nunc benedicite 134
Dum nox fouet, ſuoque nos ſilentio
Ecce quàm bonum 133
O quàm beatum eſt pacis inſolubili
Eripe me de inimicis 59
Cæleſtium parens benigne ab hoſtibus
Eripe me domine 140
Ab impio me libera
Eructauit cor meum verbum 45
O dexteri vatum quibus committitur
Exaltabo te domine 30
Te ſemper efferam pater ſanctiſsimè
Exaltabo te Deus meus 145
Te laudibus feram Deus ſanctiſsime
Exaudiat te dominus 20
Exaudiat te dux pie
Exaudi Deus deprecationem 61
Audi pater beate clamorem meum
Exaudi Deus orationem 55
Audi precem meam Deus, ne te meæ
Exaudi Deus orationem 64
Vocem meam precantis exaudi pater
Exaudi Deus iuſtitiam meam 17
Precem meam inuocantis exaudi pater
Expectans expectaui 40
Magna æquitate animi Deûm patris auxili
Exultate Deo adiutori noſtro 81
Vos ò boni exultate cuncti gaudio
Exultate iuſti in domino 33
Cum gaudio patrem canatis ò boni

Exurgat Deus, & diſsipentur 68
Qui temperat mortalia, atque conſulit.
¶F.
Fundamenta eius in mont, 87
Eſt ciuitas montem ad Sionem condita.
¶I.
In conuertendo dominus 126
Cùm liberati barbaræ gentis iugo
Inclina domine aurem tuam 86
Aures mihi tuas, inops qui ſum nimis
In domino confido 11
Deo mea ſpes nititur, quid dicitis
In exitu Iſraël, Non nobis 114.115
Cùm liberata ſeruitute, &c. Non gloriæ noſtræ p. &c.
In te domine ſperaui 31
Ne quæſo fallat me Deus, quæ in te mea
In te domine ſperaui 71
Ne quæſo fallat me Deus, quæ in te mea
Iubilate Deo omnis terra 66
Vrbes & agri cantibus
Iubilate Deo omnis terra, ſeruite 100
Vrbes & agri cantibus
Iudica domine nocen. 35
Quando tibi deſeruio rex cœlitum
Iudica me Deus, & diſcerne 43
Recti patrocinium oro numen ſuſcipe
Iudica me domine 26
Quandoquidem permagno onuſtus crimine.
¶L.
Lauda anima mea dominum 146
Deum canas mens ô mea
Lauda Hieruſalem. ex pſalmo 147
Lauda patrem Hieroſolyma, vrbs lauda Deum
Laudate dominum de cœlis 148
Cantate numen cœlites & laudibus
Laudate dominum in ſanctis 150
De ſanctitate ſumma, & aurei
Laudate dominum omnes 117
Efferte gentes vniverſa ad æthera

Laudas

Laudate dominum, quoniam, 147
Cuncti celebretis Deum nam conuenit
Laudate nomen domini 135
Deum colentes efferatis laudibus
Laudate pueri dominum 113
Adeſte caſtæ virgines, pueri integri
Lætatus ſum 122
O quale cepi gaudium
Leuaui oculos meos 123
Ad te beatas qui beatus incolis.

¶M.

Magnus dominus, & laud. 48
Ab ijs celebretur pater ſummus Deus
Memento domine Dauid 132
Sis memor vtq; pii rex maximè Dauidis, & quàm
Miſericordiam & iudicium 101
Benignitatem laudibus
Miſericordias domini 89
Semper tuam benignitatem laudibus
Miſerere mei Deus, ſecundum mag. 51
Pro maxima benignitate, pro tua
Miſerere mei Deus, quoniam 56
Miſerere iam mei Deus
Miſerere mei Deus, miſerere 57
Miſerere iam mei Deus.

¶N.

Niſi dominus ædificauerit 127
Niſi coniugem Deus bonam, & agrum fertilem
Niſi quia dominus erat 124
Niſi nos benigni numinis
Noli ęmulari 37
Felicitate ne impii te torqueat
Nonne Deo ſub. 62
Contempta inani ſpe meus
Notus in Iudæa 76
Rex inclitus cœleſtium

¶O.

Omnes gentes plaudite 47
Gentes, & orbis incolæ.

¶P.

Paratum cor meum 108
Hymnis paratus ſum Deûm rex tollere.

¶Q.

Quare fremuerunt gentes 2
Ecquid ſibi vult nationis iſtius
Quam bonus Iſraël Deus 73
Iacobeis quanquàm ſuis, qui mente ſint
Quàm dilecta tabernacula 84
Amabilem ô ſedem tuam
Quemadmodum Deus 42
Vt cerua fontem anhela quærit anxiè
Qui confidunt 125
Quicunque verè ſpes ſuas locat in Deo
Quid gloriaris in malitia 52
Quidnam potens homuntio
Qui habitat in adiutorio 91
Qui te patris cæleſtium
Qui regis Iſraël 80
O qui pium Iacobi, atque Ioſephi genus.

¶S.

Saluum me fac Deus, quoniam defecerunt 12
Benigne cælitum pater, ſerua obſecro
Saluum me fac Deus, quoniam intr. 69
Serua obſecro me iam parens Deûm, maris
Sæpe expugnauerunt me 129
Me barbarorum ſæpe vexauit furor,
Si verè vtique 58
An iudices primarij
Super flumina Babylonis 137
Dum nos ferarum gentium crudelitas.

¶T.

Te decet hymnus 65
Laudaris in pia Deus

¶V.

Venite, exultemus 95
Adſitis & cum gaudio
Verba mea auribus percipe 5
Vocem meam exaudi pater clementiæ

Voce mea ad dominum 77
Numen fatigabo prece
Voce mea ad dominum 142
Deum fatigabo prece
Vſque quò domine 13
Quouſque domine linquor in tantis malis
Vt quid Deus repul. 74
Ecquid ſibi vult cælitum rex hæc tua.

INDICIS FINIS.

Viſus & admiſſus per P. Curtium, Paſtorem Diui Petri Louanien.

ANTVERPIÆ.
Typis Ioan. VVithagij
1559.